Privilegia Ordinis Discalceatorum.

RR:8:9
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
25 N
26
Digitized by Google

M M
28

118

Digitized by Google

PRIVILEGIA
FRATRVM DISCALC.
B. MARIAE VIRGINIS
DE MONTE CARMELI.

Quæ ſparſim hucuſque ferebantur, in commune Congregationis bonum collecta.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



ROMÆ,
Ex Typographia Cameræ Apoſtolicæ. M.DCXVII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Dom. Prof. Rom.

Digitized by Google

Imprimatur ſi videbitur Reuerendiſs. P. Mag. Sac. Pal. Ap.
Ceſar Fidelis Vicesger.

Imprimatur Fr. Gregorius Donatus Magiſter. Reuerendiſs. Patris Sacri Pal. Apoſt. Magiſtri Socius.

Digitized by Google

Fr. Ferdinandus à S. Maria Carmelitarum Diſcalceatorum Congregationis S. Eliæ Præpoſitus generalis eidem Congregationi in Domino ſalutem.

SVmmorum Pontificum ad pleniora noſtri Ordinis incrementa pronus animus, & ſollicitudo, vt multiplici gratiarum largitione declaratur, ſic nos videtur enixæ ſedulitatis, atq; officij commonere, nèqua obrepat nobis vel ingrati animi nota, vel negligentiæ. Cum itaq; Conceſsiones illorum permultæ, quibus honeſtata identidem eſt Congregatio noſtra, & non leuiter præmunita, ſparſim hucuſq; & manu ſcriptæ dumtaxat legerentur non abſque iacturæ periculo: Nos meliore conſilio vnà collectas Apoſtolicæ Cameræ typis tradidimus, vt & facilius vobis præſtò ſint, & cuſtodiri tutius queant. Accipite ergo Pontificiorum Indultorum libellum, eoq; vos tùm locupletari intus ſacratiſsimis donis, tùm etiam foris armari ad iura veſtra pernoſcite. Valete. Dat. Romæ in Conuentu noſtræ reſidentiæ Sanctæ Mariæ de Scala. Kal. Aprilis 1617.

✝ 2 De

De Congregationis noſtræ origine, & progreſſu, ad cuius tutelam, & ornamẽtum Priuilegia hoc libello comprehenſa Summi Pontifices conceſſere, Eiuſdem Generalis præfatio.

Authores graues, è quibus tota hæc ſeries deprõpta eſt, citãtur à R. P. Fr. Thoma à IESV, in tractat. de antiquitate Ordin. Carmel.

V*T natura vnaquaque res ab integris abſolutisq; procedens in infima, & effœta dilabitur; ita pium non rarò, & ſpirituale quidpiã à perfectis initijs in ignauiam deſueſcit. Proindè noſter Carmelus quamquàm antea Monaſtici cultus eximio rudimento mirificè attolli cœpit, proceſſu tamen, qua noſtra mortalitatis eſt infirmitas, paulatim deſedit. Quando autem optimum eſt proficiendi genus exordia rerum contemplari, vt ad inceptã lineam ſtrenuitatis robuſtiſſimus finis exigatur; & nos non leuiter profecturos crediderim, qui ſtrictius Carmeli reſumpſimus inſtitutum, ſi ad eius initia animum conuertentes, quæ anteacta ſunt, percurramus. A ſuis natalibus Ordinem noſtrum percenſere qui velit; vt cœperit, vtq; adoleuerit, & quodammodo ad iuuentæ florem peruenerit, vt poſteà veluti conſenuerit, quandam quaſi ætatem eius inueniet in quatuor gradus, proceſſusq; tributam. Prima ætas ſub principe Elia, & Eliſeo, ac filijs Prophetarum fuit, quos ille primum, decreta ijs Carmeli ſede, eremitica imbuit diſciplina, ſed rudiore. Atque hæc nimirum noſtræ inſtitutionis primordia, ſeu quædam quaſi infantia in Euangelicæ Legis tempora, & ſecundam ætatem ſe produxere; qua per Ioannem, Apoſtolosq; ad perfectiorem Fidem, & præſtantiorem vitæ rationem traducta eſt proles Eliæ: quin ipſi etiam Carmelitæ Chriſti præcones euaſere vniuerſa ferè Galilea, Samaria, Palæſtina, eorumq; alij incoluere Alexandriæ nemora, quos chriſtianè Diuus Marcus inſtituit, alij Palæſtinæ, quos item Chriſto fuiſſe imbutos probat Cardinalis Baronius. Cæterum eandem viuendi normam à noſtro principe Elia, eiusq; ſectatore Eliſeo inductam omnes amplexi ſunt, nec deſideratur qui dicat, ob eam cauſam Eſſenos, aut Eſſeos quaſi Eliſſenos, vel Eliſſeos vocatos. Et hæc fuere aliorum, quotquot noſcuntur, inſtitutorum limina, & ſeminaria, quippè ab Alexandrinis Eſſenis immenſa ſuccreuit Eremitarum, Cœnobitarumq; ſeges totius Aegypti: à Palæſtinis integra Syria, & Palæſtina conſperſa eſt, vt non immeritò Paulum, Antonium, Macarios, & eiuſmodi cæteros Eliæ progeniem agnoſcamus.*

Fide

Digitized by Google

Fide igitur Euangelica exornato Carmelo candidati Filij tanti Patris quò tandem loci dicatum anteà meritiſſimo Duci peruetuſtum Sacellum prominuit, recens Deiparæ conſecrarunt, quæ illos viuens non ſemel præſentiæ gratia quàm ſanctiſſimè affecerat; effectumq; eſt, vt qui quondam Eliæ, iam dignioris tituli nomenclaturam nacti Beatæ Mariæ à Monte Carmeli dicerentur. Hac impoſterum enutritus Parente mirandum in modum adoleuit Carmelus, vt non immeritò hanc ſecundam eius ætatem, & veluti adoleſcentiam appellemus. Sub hæc tempora præfuit antè omnes Carmelo Enoch è duobus ſupra ſeptuaginta Diſcipulis vnus, & Nicapolytanus Antiſtes, alijq; deinceps eximiæ viri ſanctitatis. Poſt annos circiter quadringentos Ioannes Hieroſolymorum Patriarcha, idemq; antea Carmeli gregarius efflagitante Capraſio Carmelita, inſtitutionē quandam Regulamuè deſcripſit, quæ ad ætatem tertiam religioſiſſimè perducta eſt. Interea callidiſſimus Serpens, qui pridem Adæ Paradiſum inuidit, operoſa illa ſanctiſſimaq; otia noſtri Carmeli exoſus, Coſdroa Syriam occupante, deſæuientes eò Perſas adegit, ac lacrymabili montem vaſtitate detriuit. Sacra latè Oratoria, & Cellulæ populata, ſoloq; fuſa, Eremicolæ verò ferro traditi ſunt, mixtusq; eſt ſuorum ſanguine fons Eliæ. Et quamuis poſtea non mediocri per Eraclium pietate inſtaurata reſurgerent ædificia, & Monachorum coaleſceret multitudo, diriorem ſubindè Sarracenorum turbinem vltima penè internecione excepere. Sed ſuis æſtibus, & venenis minimum dixerim offeciſſe Carmelo Anguem teterrimum, cuius iacta truculentiæ ſemina progenuere tot Martyrum glorioſa roſeta. Igitur poſt geminatam ſæuitiam coacta noſtrorum rariores reliquiæ, quibus ferrum indulſerat, prædura immaniſſimorum Arabum ſubiere tributa, qui illis inhibito albo pallio, quod inter eos honorifica eſſet Satraparum nota, varium iniecere, & eouſq; geſtatum, dum ab Honorio IIII. Summo Pontifice albo iterum donati ſunt. Per idem tempus æmulatæ viros mulieres, & ſeueriorem Carmeli diſciplinam edoctæ, incredibilem illi addiderunt ornatum: cum primis autem fortis Eugenia piè ſexum mentita inter Eliæ conſecraneos mirè peruixit, iiſq; tandem erumpens plurimarum effecta eſt generoſa parens Monialium Alexandriæ primò, deindè Romæ, vbi martyrio eſt cōſummata. Quapropter clauſarum intra ſacras ædes Virginum conferri poſſe videtur in Carmelum origo, antiquiſſimæ enim fœminæ Oriente toto non niſi ab Eliæ Diſcipulis eremiticè inſtitutæ ſunt; Occidentem verò nulla prior Eugenia Virgines docuit ſacris concludere periſtylijs. Verum & ipſæ hoſtiles inſectationes perpeſſæ ſunt.

Recupe-

Recuperatis autem Deo annuente Hieroſolymis anno circiter 1120. Antiochenus Patriarcha, & Apoſtolicæ Sedis à latere Legatus Almericus inclinatum Carmelum peramicè ſuffulſit, & noſtri Ordinis viros tot ſanitijs territos imminutoſq; plurimis beneficijs eſt proſecutus; multos etenim metu diſſitos, omnes Anacoretarum modo ſeorſim agentes in ſpeluncis, ac cellulis, & quanquàm vnà pſallere, nondùm vnà conuiuere aſſuetos communi clauſit domicilio, & ad vitam tranſtulit ſuauiorem. Is deinceps latinorum compluribus ad noſtrum Ordinem conuolantibus Ioannis regulam græcè conſcriptam latinè reddidit, ne qua illis obreperet inobſeruantia idiomatis ignorationem cauſantibus. Sed poſt quinquageſimum annum quia prolixè multa Joannes præſcripſerat, & quæ difficultatem ingererent, ab Hieroſolymorum Patriarcha Alberto petiere eius temporis Eremitæ quæ ille fuſim implexèq; ſtatuerat, per ipſum exponi, ac nouam breuioremq; ſibi vitæ formulam tradi. Acceperunt ergò à præſtantiſſimo viro perbreuem illam, quæ nunc viget, & numeris omnibus abſolutam Regulam anno 1171. Lateranenſi nedùm acto Concilio, à quo poſtea, & ab Honorio III. ſuam obtinuit firmitatem, nec abſque miraculo; dubitanti enim Pontifici an datis de confirmatione libellis annueret, Virgo Deipara per viſum aſtitit, quod à ſuis filijs, hoc eſt Carmelitis, poſtulabatur, vt concederet commonefaciens, & nonnullos, qui petentibus aduerſabantur, emortuos in pœnam teſtata eſt. Sub hac Alberti regula non facile dictu eſt, quàm latè Carmelus increuerit, cum nedumtaxat ipſe mons, verum nec Palæſtina ſuppeteret noſtrorum Collegijs Eremitarum. At malitia inhabitantium eas Vrbes florentiſſimam hanc Sacri Montis tertiã ætatem vel iuuentutẽ ijs terris decoxit, quod Cyrillo diuinitus prænunciatum fuit, qui ab Auguſtiſſima Virgine tranſituram reſciuit ad Europæ terras monaſticam Palæſtinæ Coronam, Carmelitaſq; augendos ibi numero productiore. Quare breui iterum per ea loca Sarracenorum debaccante rabie conuenere noſtri generatim in Monte, ac de imminentibus Ordini vniuerſo extremis caſibus actum eſt. Tentari Europam conſenſerunt; nec longo poſt interuallo in Cyprum aliquot, atque Angliam traiecere, in ijſq; prima extructa ſunt cœnobia Carmelitarum. Mox peruaſit ad Gallias diſciplina eadem, per Ludouicum Regem, qui Carmelum inuiſerat, paucis è monte in eum finem abductis. Anno itaque 1290. excuſſa toto Carmelo, & Palæſtina Monaſtica ſedes ab impijſſimis Mauris, nec vlla maior tantæ immanitatis occaſio, quàm varij pallij, quod ipſi noſtris obtruſerant in album facta regreſſio. Tùm ſiquos gladius impiorum præterijt, ad Europa Cœnobia commigrauere, vbi multa duratione

tione

ſtione perſtitit illa Ordinis viuida ætas atque iuuentus, quamuis pauca ſtri-ctius per Albertum præſcripta, eaq; ſanè non multi ponderis vno, alteroųè capite moderari ab Innocentio IIII. Summo Pontifice ſit poſtulatum.

Anno demum 1431. collectis in Comitia Fratribus ſupplicari Summo Pontifici pro noua Regulæ moderatione decretum eſt. Quamobrem leniuit inſtituti rigorem Eugenius IIII. & in ea mitigatione Carmelita deinceps conſtitere in quarta antiqua diſciplina veluti ætate, ac ſenio.

Tandem Deus Optimus, qui ſuorum inſtar Aquilæ renouat iuuentutē, ad inſtaurandum Carmeli robur fauſtiſsimo anno 1561. eximiam Sanctitate Virginem Tereſiam à IESV cœleſti ſpiritu afflatam excitauit, quæ priſtinam Alberti Regulam primùm ſibi, mox Virginum cœtibus, poſtremò duobus ex Carmelitis, quos mitigatos vocant, propoſuit ſtrenuè recolendam. Horum Patrum alter Antonius à IESV, Ioannes alter à Cruce, vterque ſanctitate illuſtris, vltimus miraculis etiam clarus anno 1568. in natali Hiſpaniæ ſolo propè Abulam antiquiori Carmelo nouiſsima fundamenta dedere. Diſcalceati deinceps Carmelitæ in dies aucti communem tamdiù cum Mitigatis Præſulem agnouere, donec anno 1580. Philippo Rege intercedente per Gregorium XIII. Romanum Pontificem ſeiungendæ à Mitigatis Prouinciæ, ſtatuendiq; Prouincialis Reformatæ familiæ data facultas, qui tamen Mitigatorum Summo Præſuli ſeu Generali ſubderetur. Per hæc initia reuocabatur prior ille Carmelus, & cita propagatione occupatis Hiſpanijs ad Indos cæpit protendi. Quocirca Excalceatorum Cœnobijs percreſcentibus anno 1587. Summus Pontifex Sixtus V. Philippi Regis deprecatione, vt celebrare Conuentus poſſent, creare generalē Vicarium, Prouinciasq́; partiri ijs indulſit, adiecitq́; Vicario ad faciliorem adminiſtrationem ſex Conſultores.

Demum anno 1593. generatim vniuerſo Ordine coeunte, vtrinque conſenſum eſt in omnimodam Diſcalceatorum Mitigatorumq́; ſegregationem certis quibuſdam conditionibus, placitisq; Clemente Octauo omnia poſtmodum comprobante, ac primum Diſcalceatis generalem Præpoſitum decernente Nicolaum à IESV MARIA.

Rebus in eum modum compoſitis recens Congregatio totas mirificè condecorabat Hiſpanias, ac diſciplinæ ſeueritate dulciſsimos animabus afferebat fructus, quibus ne princeps Roma diù careret, mutuata ex Hiſpano ſolo Religionis noſtræ ſemina idem Clemens in Italiam, & hanc maximè Vrbem inuexit datis vltrò ad Cœnobiorum erectionem, Romaniq́; præſertim in ædibus S. MARIAE de Scala, Pontificijs literis; Diſcalceatos verò Italicæ

Pro-

Prouincia ab Hiſpanis ad commodiorem gubernationem ſecreuit, & nouo Præpoſito generali conceſſo in peculiarem efformauit Congregationem; quæ mox paucisſimis annis in Gallos, Belgas, Polonos, Germanos, Perſas; Orientales denique Indos intulit pedem.

Reliquum erat, vt ad Monaſticæ perfectionis conſtratam viam, ad quam percurrendam tot calcaribus impellimur, hoc nouo ſtimulo incitaremur, vt ex vberrima Pontificiorum indultorum ſylua quædam, & quæ maximè noſtræ Congregationis propria ſunt, hoc volumine exararentur; quibus ob oculos propoſitis, & pro dignitate perpenſis ex Summorum Pontificum in nos ſpirituali munificentia quantum proficiendi nobis onus incumbat, intelligeremus.



INDEX PONTIFICVM, ET PRIVILEGIORVM.

Innocentius IIII.

1 QVae honorem. Confirmatio; & Declaratio Regulæ Primitiuæ Ordinis B.V. Mariæ de monte Carmeli. pag. 1

Gregorius XIII.

1 Pia conſideratione. Erectio primæ Prouinciæ Carmelitarum Diſcalceatorum in Regnis Hiſpaniarum. 6

Sixtus V.

1 Quæ à Prædeceſſoribus. Confirmatio erectionis, & ſeparationis Prouinciæ Diſcalceatorum per Greg. XIII. factæ cum facultate recitandi Officium iuxta ritum S. R. E. & in Romana Curia Procuratorẽ habendi. 13

2 Decet Romanum. Carmelitæ Diſcalceati non tenentur recipere Mitigatos, vel alterius Ordinis, nec à ſe ſemel eiectos; ipſi verò exire à propria Congregatione, vel ad aliam, niſi Carthuſianorum tranſire ſine expreſſa licentia Rom. Pont. non poſſunt. 19

3 Cum de ſtatu. Diuiſio Prouinciarum, & Erectio vnius Congregationis Diſcalceatorum in Regnis Hiſpaniarum ſub vno Vicario Generali. 26

4 Redditurì. Variæ Indulgentiæ conceſſæ præſertim inuocantibus Sanctiſs. nomina IESV, & MARIÆ. 35

Gregorius XIIII.

1 Quoniam non ignoramus. Prohibitio reelectionis Priorum Prouincialium, & abſoluta tranſlatio curæ Monialium in ſuos Prouinciales. 38

Clemens VIII.

1 Paſtoralis. Separatio Carmelitarum Diſcalceatorum à Mitigatis. 43

2 Cum dudum. Communicatio Priuilegiorum omnium Ordinum etiam Mendicantium. 51

3 Decet Romanum. Exemptio à quarta funerali. 55

4 Religioſorum. Indultum non exeundi ad publicas Proceſſiones. 57

5 Sacrarum Religionum. Erectio Conuentus S. Mariæ de Scala in Vrbe, cum ſeparatione à Congregatione Hiſpaniarum. 59

6 De Religioſorum. Superintendentia Fratris Petri à Matre Dei Carmelitæ Diſcalceati in Reformatos S. Auguſtini. 64

7 Romani Pontificis. Declaratio Bullæ Cruciatæ de eligendo Confeſſore, & abſoluendo à caſibus reſeruatis. 65

8 In Apoſtolicæ. Erectio Congregationis Italiæ. 67

9 Ad Romanum Pont. Facultas præcedendi Fratribus B. Mariæ de Mercede. 72

10 Romanum Pont. Ordo Carmelitarum Diſcalceatorum eſt vnus ex quatuor Mendicantibus, & ad Proceſſiones compelli non poteſt. 75

Pau-

Digitized by Google

Paulus V.

1 Ex incumbenti. Confirmatio Declarationis Clem. VIII. quod Ordo Carmelitarum Diſcalceatorum ſit vnus ex quatuor Mendicantium, & ad Proceſſiones compelli non poſſit. 78
2 Ad Eccleſiæ. Facultas erigendi Monaſteria de ſola licentia Ordinarij, nullo Regularium requiſito conſenſu. 83
3 Totius terrarum Orbis. Conceſſio erectionis Monaſteriorum ad propagandam fidem deſtinatorum. 85
4 Cùm certis. Indulgentiæ pro Confratribus B. Mariæ de monte Carmeli. 87
5 Cum ſicut accepimus. Confirmatio prohibitionis trãſitus ad Fratres B. Mariæ de Mercede, & alios Ordines.
6 Decet Romanum. Confirmatio aliquorum Breuium præcedentium.
7 Dilecto filio. Derogatio indulti de non ædificando intra certum ſpatium propè Mendicantes ad effectum erectionis Bononieñ. & Cracouieñ. 106
8 Alias nos. Exemptio à iuriſdictione Epiſcopi Cyreneñ. in Regno Perſarum. 108
9 Dilectis filijs. Facultas diſpenſandi ſuper certis conſanguinitatis gradibus, nec non Altaria, & Calices conſecrandi in Regno Perſarum. 109
10 Romani Pontificis. Erectio Seminarij S. Pauli in monte Quirinali, & extinctio alterius Congregationis ſub eadem inuocatione inſtitutæ. 111
11 Regis æternæ gloriæ. Facultas celebrandi Officium, & Miſſam

Miſſam de B. V. TERESIA de IESV. 113
12 Aliàs nos. Prohibitio tranſitus ad Camaldulenſes. 115
13 Domini noſtri. Extenſio facultatis celebrandi Officium, & Miſſam de B. V. TERESIA de IESV. 118
14 Exponi nobis. Licentia vendendi quæcunque bona immobilia, cenſus, & loca montium. 120
15 Ex incumbenti. Alia facultas alienandi bona ſtabilia de Generalis licentia. 122
16 Ad ea per quæ. Confirmatio concordiæ inter Carmelitas Calceatos, & Diſcalceatos ſuper erectione Confraternitatum B. MARIÆ Virginis, & conceſſione ſacri Scapularis. 126
Facultates pro erectione Monaſteriorũ Monialium Diſcalceatarum, & Fratrum eiuſdem Ordinis ad illarum gubernium deputatione. 133
Pro erectione Monaſterij Monialium Neap. literæ. ibid.
17 Dilectis filijs. Commiſſio curæ Monialium Diſcalceatarum in Belgio. 134
18 Inter cætera. Erectio Monaſterij Monialium de Vrbe. pag. 135
19 In ſupremo. Erectio Monaſterij Monialium Cremonæ. pag. 138
20 In ſupremo. Erectio Monaſterij Monialium Auenionis. 141
Decretum Sacræ Congreg. Regular. ſuper quæſtuatione eleemoſynarum.

INDEX

INDEX RERVM HOC LIBELLO CONTENTARVM.

A

Alieniatio bonorum immobilium, cenſuum, & locorum montium Diſcalceatis conceſſa, & quomodo facienda. num. 1. pag. 120

Alia facultas alienandi bona ſtabilia. n. 1. p. 122

Altaria, & Calices conſecrare Diſcalceati poſſunt in Regno Perſarum. p. 109

Apoſtatas & transfugas puniendi facultas. n. 4. p. 21

Apoſtata, fugitiui, & expulſi aliorũ Ordinum recipiendi non ſunt, & receptio facta annullatur. n. 7. p. 70

Appellatio à ſententijs latis per Prouincialem contra publicos delinquentes interdicitur. n. 7. p. 22

B

Bona quaecunque immobilia vendi, & alienari poſſunt, & quomodo facienda ſit alienatio. p. 120

Bona ſtabilia alienandi facultas alia. p. 122

Bononien. & Cracouien. Cõuentuum erectio conceditur cum derogatione Indulti de non ædificando propè Mendicantes. p. 106

Bulla Cruciata de eligendo Confeſſore, non habet locum in Fratribus & Monialibus Ord. Carmelit. Diſcalceatorum. n. 1. p. 66

Qui quoad Confeſſores diſpoſitioni ſuorum Prælatorum ſubijciuntur. n. 2. p. 66

C

Calices, & Altaria conſecrare Diſcalceati in Regno Perſarum poſſunt. p. 109

Capitulum Prouinciale quando celebrari, & quæ in eo electiones fieri debeant. n. 9. p. 29

Capitulũ generale tertio quoque anno celebrandum. n. 6. p. 29

Ad Capitulum generale quinam accedere teneantur. n. 7. p. 29

Quæ in eo electiones fieri debeant. ibid.

Carmelitæ Diſcalceati præcedũt Fratribus B. Mariæ de Mercede. p. 72

Carmelitæ Diſcalceati ſunt ex Mendicantibus. n. 1. p. 73

Nullo tempore locum antiquitatis amittunt, ſed quandocunque repetere poſſunt. n. 2. p. 73

Ad generales proceſſiones compelli non poſſunt. n. 3. p. 76

Eadem confirmantur, & vbique habere locum decernitur. n. 2. & 3. p. 80

Iterum confirmantur à Paulo V. n. 9. p. 98

Carmelitæ Diſcalceati non ſunt moleſtandi

ſeſſandi ſuper quaſtuatione eleemoſynarum. p.144

Carmelitæ Diſcalceati vbique Monaſteria erigere poſſunt de ſola Ordinarij licentia. n.1.p.83

Et Monaſteria miſſionibus deſtinata. n.1.p.85

Carmelitis Diſcalceatis ad conuerſionem infidelium accinctis conceditur Indulgentia plenaria. n.2.p.85

Carmelitis Diſcalceatis prohibetur tranſitus ad Fratres B. Mariæ de Mercede. n.1.p.90

Celebrare Officium, & Miſſam de B. V. Tereſia conceditur. p.113

Extenditur eadem conceſſio. p.118

Cenſus & loca montiũ etiã S. Georgij Ianuen. vendi poſſunt, & quomodo facienda venditio. p.120

Commiſſio curæ Monialium Diſcalceatarum in Belgio. p.134

Commiſſio guberni Monialium Diſcalceatarum de Vrbe. n.4.p.137

Commiſſarius generalis Monialium abrogatur, & illarum gubernium Prouincialibus demandatur. n.5. p.39

Reuocantur geſta per Commiſſarium prædictum. n.15.p.42

Commiſſarij titulo præficitur Congregationi Diſcalceatorum Italiæ Fr. Petrus à Matre Dei. n.9.p.70

Communicantur Diſcalceatis omnia & ſingula priuilegia, & Indulgentia Ordinis Carmelitarũ. n.13.p.48

Communicantur Diſcalceatis omnia priuilegia Ordinis Carmelitarum, tàm principaliter quàm per communicationem conceſſa. n.1.p.51

Communicantur Diſcalceatis Priuilegia omnium Ordinũ etiam Mendicantium conceſſa & concedenda. n.2.p.52

Communicandi Indulgentias Confraternitatibus B. M. V. de monte Carmeli Generali Carmelitarum datur facultas. n.2.p.89

Conceſſio ſacri Scapularis B. M. V. quomodo ſit facienda ſæcularibus ex concordia & illius confirmatione deſuper facta. n.2. & 3. p.127

Concordia inter Carmelitas calceatos & Diſcalceatos inita ſuper erectione Confraternitatis B. M. V. & conceſſione ſacri Scapularis confirmatur à Paulo V. n.3.p.129

Concordiæ prædictæ tenor. n.2.p.127

Concordiæ prædictæ Inſtrumentum. p. 130

Confeſſores Monialibus Diſcalceatis per Prouinciales decerni debent. n.8. p.40

Confeſſoris eligendi facultas conceſſa in Bulla Cruciatæ non habet locum in Fratribus & Monialibus Diſcalceatis. n.1.p.66

Confirmatio Concordiæ ſuper erectione Confraternitatum B. M. V. de monte Carmeli, & conceſſione ſacri Scapularis. n.3.p.129

Confirmatio ac declaratio Regulæ primitiuæ per Innocentiũ iv. facta. p.1

Confraternitatis B. M. V. de monte Carmeli Indulgentiæ. n.2.p.87

Confraternitatem B. M. V. de monte Carmeli vbique erigendi, & Indulgentias illi communicandi facultas Generali Carmelitarũ conceditur. n.2.p.89

Confraternitatum B. M. V. erectio quomodo ſit facienda iuxtà concordiam, & illius confirmationem deſuper factam. n.2. & 3. p.127

Congregatio Diſcalceatorum Hiſpaniæ erigitur ſub vno Vicario generali. n.2. p.28

Congregationi prædictæ omnia priuilegia competere declaratur, quæ olim

Digitized by Google

olim Prouinciæ conceſſa fuere. n.3.p.28
Congregatio Hiſpaniæ poteſt habere Hoſpitium in Vrbe. n.10.p.102
Congregationis negocia proceſſum requirentia Vicario generali ac Diffinitoribus remittuntur. n.3.p.39
Congregatio Diſcalceatorum eſt vnus ex quatuor Ordinibus mendican. n.1.p.75
Idem confirmat Paul. v. n.9.p.98
Congregatio Diſcalceatorum Italiæ erigitur ab omni alia ſeparata. n.2.p.68
Confirmatur à Paulo v. n.9.p.98
Conceduntur eidem omnia priuilegia Congregationi Hiſpaniarum quomodolibet conceſſa, & concedenda. n.3.p.69
Item Conuentus extrà Hiſpaniam vbique erigere. n.4.p.69
Et ad habitum recipere extrà Capitula prouincialia capta informatione, & de modo capienda informationis. n.5. & 6.p.69
Cōgregationi prædictæ præficitur ſub titulo Commiſſarij Fr. Petrus à Matre Dei. n.9.p.70
Qui erectis duobus Cœnobijs conuocet Capitulum ad electionē Præpoſiti faciendam in quem eius authoritas refundatur. n.10.p.70
Congregationi prædictæ prohibetur recipere apoſtatas, fugitiuos, & expulſos aliorum Ordinum, & receptio facta annullatur. n.7.p.70
Congregationi Diſcalceatorum prohibetur cura quarumcunque Monialium præterquàm Monaſterij de Ieſu Maria Ianuen. n.8.p.70
Congregatio Diſcalceatorum S. Pauli extinguitur. n.1.p.111
Conſecrare Altaria & Calices in Regno Perſarum Diſcalceatis conceditur. p.109
Conſiliarij quomodo eligēdi. n.3.p.28
Conſiliarijs quando uti debeat Vicarius generalis. n.4.p.28
Conſiliariorum officium quandiu duret. n.5.p.29
Conſtitutiones quaſdam Monialium Summus Pontifex moderatur. n.9.p.40
Conſtitutiones, & Superiorum præcepta nec ad mortale, nec ad veniale peccatum obligant præter caſus expreſſos. n.13.p.41
Conſultores ſex Præpoſito generali adiunguntur. n.5.p.46
Conſultores prædicti durante generali Capitulo nomen ac munus Diffinitorum habent, ſed extra hoc tempus nomen retinent Conſultorum vel Aſſiſtentium. n.6.p.47
Conſultores prædicti quomodo ſint eligendi. ibid.
Conuentus S. Mariæ de Scala erigitur. n.1.p.60
Conuentus S. Mariæ de Scala à Generali, & Congregatione Hiſpaniæ ſeparatur. ibid.
Conuentui prædicto communicantur, & extenduntur priuilegia, & Indulgentiæ Congregationis Hiſpaniæ. ibid.
Conuentus S. Mariæ de Scala, Collegium S. Annæ, & Monaſterium Monialiū de Ieſu Maria Ianuen. inuicem vniuntur, à Congregatione Hiſpaniæ ſeparantur, & Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubijciuntur. n.2.p.61
Tranſitus à Congregatione Hiſpaniæ ad Conuentus prædictos, & à conuerſo prohibetur. n.3.p.61
Conuentui S. Mariæ de Scala, & Collegio S. Annæ Ianuen. prohibetur adminiſtratio negociorum Congrega-

gationis Hiſpaniæ. n.4.p.62
Conuentui & Collegio prædictis prohibetur Religioſos Congregationis Hiſpaniæ huc venientes ſuſcipere abſque lic̄tia Præpoſiti ac Diffinitorij prædicta Congregationis. n.4.p.62
Derogatur fundationibus, vel dotationibus, in quibus fortaſſe reſeruata eſſet Superioritas Generalis, & Conſulta Hiſpaniarū. n.5.p.62
Cōuentus Bononien. & Craconien. erigendi facultas cum derogatione Indulti de non ædificando prope mendicantes. p.106
Conuerſioni Infideliũ deſtinata Monaſteria vbique erigi à Diſcalceatis poſſunt. n.1.p.85
Cracouien. & Bononien. Conuentuũ erectio datur cum derogatione Indulti de non ædificando propè Mēdicantes. p.106
Cruciata Bulla de eligendo Confeſſore non habet locum in Fratribus, & Monialibus Diſcalceatis. n.1.p.66
Qui quoad confeſſiones diſpoſitioni ſuorum Prælatorum ſubijciuntur. n.2.p.66
Culpas omnes Fratrum, & Monialium ſua Prouincia punire Prouinciales poſſunt, excepta grauiſſima. n.2.p.39
Culpa grauis à Priore locali cognoſci poteſt. n.4.p.39
Cura quarumcunque Monialium Diſcalceatis interdicitur, præterquàm Monaſterij de Ieſu Maria Ianuen. n.8.p.70
Cura Monialium Belgij Diſcalceatis committitur. p.134

D

DEcretum generalis Capituli totius Ordinis ſuper totali ſeparatione Diſcalceatorum & Mitigatis ſub certis quibuſdam conditionibus. n.3.p.44
Decretum prædictum per Clementem viij. confirmatur, & Diſcalceati Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubduntur. n.4.p.45
Breue Clementis confirmatur à Paulo v. n.9.p.98
Derogatur Indulto de non ædificando intrà certum ſpatium propè Mendicantes ad effectum erectionis Bononien. & Cracouien. p.106
Diffinitores ſeu Conſultores quomodo ſint eligendi. n.6.p.47
Diffinitores pro Indiarum Prouincijs ob longinquitatem ex vicinioribus Prouincijs eligi poſſunt. n.7.p.47
Diffinitores in eodem Conuentu cum Præpoſito generali commorari debent. n.8.p.47
Diffinitorum & Præpoſiti generalis conſeſſio Conſulta ſeu Congregationis nomine appellatur. ibid.
Quid agendum ſi ſub vnius Diffinitoris protectione plures eſſent Prouinciæ. n.7.p.47
Diffinitores ſingulos ſingulæ Prouinciæ habere debent. n.6.p.47
Diffinitores numerum ſenarium non debent excedere. ibid.
Diffinitoribus, & Vicario generali remittuntur negocia proceſſum requirentia. n.3.p.39
Diſcalceati Carmelitæ præcedũt Fratribus B. M. de Mercede. p.72
Diſcalceati Carmelitæ ſunt ex Mendicantibus. n.1.p.75
Idē confirmat Paulus v. n.9.p.98
Diſcalceati eximuntur à iuriſdictione Epiſcopi Cyrenen. in Regno Perſarum. p.108
Diſcalceati exire ad generales proceſſiones non compelluntur. n.3.p.76

Diſcalceati nullo tempore locum antiquitatis amittunt, ſed quandocunque repetere poſſunt. n.2 p.76
Eadem confirmantur, & vbique obtinere decernitur. n.2. & 3.p.80
Iterum confirmantur à Paulo V. n.9.p.98
Diſcalceati Monaſteria vbique erigere valent de ſola Ordinarij licentia n.1.p.83
Diſcalceati Carmelitæ non ſunt moleſtandi ſuper quæſtuatione eleemoſynarum p.144
Diſcalceati ſoluere quartam funeralium non tenentur. n.3. & 4.p.55
Idē confirmat Paulus v. n.9.p.98
Diſcalceatis Carmelitis prohibetur tranſitus ad Fratres B. M. de Mercede. n.1. & 2.p.90
Diſcalceatis prohibetur tranſitus ad Camaldulenſes. p.115
Diſcalceatis prohibetur cura quarūcunque Monialium præterquàm Monaſterij de Ieſu Maria Ianuen. n 8.p.70
Diſcalceatorum ſeparatio totalis à Mitigatis per Clem. viij. facta. n.4.p.45
Confirmatur à Paulo v. n.9.p.98
Diſpenſare poſſunt Diſcalceati ſuper certis conſanguinitatis gradibus in Regno Perſarum. p.109
Diuiſio Prouinciarum Diſcalceatorum Hiſpaniæ, & vnius Congregationis erectio. n.2.p.28

E

Electos ſemel ab Ordine Diſcalceati recipere non tenetur. n.8.p.22
Electio Priorum tàm localium, quàm Prouincialium quomodo facienda. n.3.p.28
Electio Conſiliariorum quo fiat. ibid.
Electiones quæ fieri debeant in Capitulo generali. n.7.p.29
Eleemoſynas quærere poſſunt Diſcalceati etiã ijs diebus, quibus alij Regulares mēdicantes quærere ſolent, ex decreto Sac. Cong. Regul. ibid.
Erectio Congregationis Hiſpaniæ ſub vno Vicario generali. n.2.p.28
Erectio Congregationis Italiæ. Vide Congregatio Diſcalceatorū Italiæ.
Erectio Conuentus S. Mariæ de Scala cum ſeparatione à Generali, & Congregatione Hiſpaniæ. n 1.p 60
Erectio Monaſterij Monialium Diſcalceatarum de Vrbe. n.2.p.136
Erectionis Monaſterij Neapolitani Monialium S. Ioſeph in Ieſu Maria literæ. p.133
Item literæ extractionis Monialiū à Monaſterio de Ieſu Maria Ianuen. ad Neapolitan. p.134
Erectio Monaſterij Monialium Diſcalceatorum Cremonæ conceditur. n.1.p.139
Eidē Monaſterio conferuntur priuilegia. n.2.p.139
Illius gubernium Superioribus prædicti Ordinis demãdatur. n.3.p.140
Erectio Monaſterij Monialium Diſcalceatarum Auenionis indulgetur. n.1.p.142
Eidem Monaſterio communicantur priuilegia aliorum Monaſteriorum eiuſdem Ordinis. n.2.p.142
Eius gubernium Superioribus prædicti Ordinis demãdatur. n.3 p.143
Erectio Seminarij S. Pauli in monte Quirinali. n.2.p.112
Communicantur eidem Seminario priuilegia. n.3.p.112
Erigendi Monaſteria miſſionibus deſtinata Diſcalceatis datur poteſtas. n.1.p.85
Erigendi vbique Monaſteria de ſola

Digitized by Google

Ordinarij licentia, Diſcalceati facultatem habent. n.1.p.83
Exemptio à iuriſdictione Epiſcopi Cyrenen. in Regno Perſarum. p.108
Exemptio à ſolutione quartæ funeralium. n.4.p.55
Confirmatur à Paulo v. n.9.p.98
Exire ad publicas proceſſiones non compelluntur Diſcalceati. n.3.p.58
Exire à propria Congregatione Diſcalceati nequeunt abſque licentia Rom. Pontificis. n.2.p.21
Expulſos, & fugitiuos aliorum Ordinum recipere Diſcalceati prohibentur, & receptio facta annullatur. n.7.p.70
Extenſio facultatis celebrandi Miſſam, & Officium de B.V. Tereſia à Ieſu. p.118
Extinctio Congregationis Diſcalceatorum S. Pauli. n.1.p.111
Extractionis Monialium à Monaſterio de Ieſu Maria Ianuen. ad Neapolitan. literæ. p.133

F

Facultas alienandi quæcunque bona immobilia, cenſus, & loca montium, & quomodo ſit facienda alienatio. p.120
Facultas alia vendendi bona ſtabilia. p.122
Facultas celebrandi Miſſam, & Officium de B.V. Tereſia. p.113
Facultas eadem extenditur. p.118
Facultas conſecrandi Altaria, & Calices in Regno Perſarum. p.109
Facultas diſpēſandi ſuper certis conſanguinitatis gradibus in Regno Perſarum. ibid.
Facultas eligendi Confeſſorē in Bulla Cruciatæ conceſſa, non procedit in Fratribus, & Monialibus Diſcalceatis. n.1.p.66
Sed quoad confeſſionis adminiſtrationem diſpoſitioni ſuorum Prælatorum ſubijciuntur. n.2.p.66
Facultas erigendi vbique Confraternitatem B. M. V. de monte Carmeli, & Indulgentias illi communicandi Generali Carmelitarum conceſſa. n.2.p.89
Facultas Monaſteria vbique erigendi de ſola Ordinarij licentia. n.1.p.83
Facultas Monaſteria vbique erigendi ad propagandam fidem, ſeu miſſionibus deſtinata. n.1.p.83
Facultas præcedēdi Fratribus B.M. de Mercede. p.72
Facultas recitandi Officium diuinū iuxtà ritum S. R. E. n.3.p.17
Fratres Carmelitæ Diſcalceati ſunt ex Mendicantibus. n.1.p.75
Nullo tempore locum antiquitatis amittunt, ſed quandocunque repetunt. n.2.p.76
Ad generales proceſſiones compelli non poſſunt. n.3.p.76
Confirmantur prædicta, & vbique locum vendicare declaratur. n.2.p.80
Confirmantur iterum à Paulo v. n.9.p.98
Frater Petrus à Matre Dei Carmelita Diſcalceatus conſtituitur Superintendens Reformatorū S. Auguſtini. n.1.p.64
Fratres B. M. de Mercede non poſſunt recipere Carmelitas Diſcalceatos ad ſe tranſeuntes, & ſi quos receperint reſtituere compelluntur. n.1. & 2. p.90
Fratribus B. M. de Mercede præcedendi facultas. p.72
Fugitiuos, apoſtatas, & expulſos aliorum Ordinum recipere Diſcalceati non poſſunt. n.7.p.70

Gene-

Digitized by Google

G

GEnerale Capitulum tertio quoque anno celebrandum. n.6.p.29
Ad generale Capitulũ qui teneantur accedere. n.7.p.29
Qua in eo electiones faciendæ ſint. ibid.
Generalis totius Ordinis certam formam ſeruare debebat in viſitatione Diſcalceatorum ab ipſo olim facienda. n.4.p.9
Vide etiam. n.16.p.39
Generali Carmelitarũ reſeruata olim in Diſcalceatos ſuperioritas declaratur, & limitatur. n.14.p.51
Generali ac Diffinitoribus remittuntur omnia Congregationis negocia proceſſum requirentia. n.3.p.39
Generali ac Diffinitoribus relinquuntur omnia Congregationis negocia. n.14.p.41
Grauem culpam Prior localis cognoſcere poteſt. n.4.p.39

H

HAbitum conferre non ſeruata forma Superiores non poſſunt ſub excõicationis pœna. n.3.p.21
Habitum Carmelitarum Diſcalceatorum vel ei ſimilem extrà Congregationem geſtantes excommunicantur. n.3.p.21
Habitum prædictum geſtantes puniri poſſunt à Superioribus Diſcalceatorum. n.4.p.21
Hiſpaniarum Congregationi Hoſpitium in Vrbe cõceditur. n.10.p.102
Hiſpaniarum Congregationi Procuratorem in Romana Curia licet habere. n.4.p.17

I

INdulgentia plenaria conceditur Diſcalceatis ad conuerſionem infidelium properantibus. n.2 p.85
Indulgentia Confraternitatis B. M. V. de monte Carmeli. n.1.p.87
Indulgentias prædicta Confraternitati communicandi facultas Generali Carmelitarum conceſſa. n.2.p.89.
Indulgentia, & Priuilegia Ordinis Carmelitarum Diſcalceatis conceduntur. n 7.p.10.
Indulgentia varia conceduntur Diſcalceatis, & Chriſtifidelibus ad earũ Eccleſias accedentibus, præſertim præſentibus Miſſæ de Sanctiſſimo Sacramento ſingulis quintis ferijs inibi celebrari ſolitis. n.1 & 2.p.35
Itẽ inuocantibus Sanctiſsima nomina IESV, & MARIAE, vel alia facientibus prout in Breui conceſſionis. n 3. & 4.p.36
Indulto de non ædificando propè Mendicantes derogatur pro erectione Conuentuum Bononien. & Cracouien. p.106
Inſtrumentum Concordiæ ſuper erectione Confraternitatum B. MARIAE V. de monte Carmeli, & cõceſsione ſacri Scapularis. n.130

L

LItera pro erectione Monaſterij Monialium Sancti Ioſeph in Ieſu Maria Neapol. p.133
Litera extractionis Monialium à Monaſterio Ieſu Maria Ianuen. ad Neapolitan. ibid.
Loca montium, & cenſus alienare Diſcalceati poſſunt, & quomodo. p.110

Locum antiquitatis inter Fratres aliorum Ordinum Diſcalceati nullo tē-pore amittunt, ſed quandocunque repetere poſſunt. n.2.p.76.

M

MEndicantes Regulares non poſſunt moleſtare Carmelitas Diſcalceatos in quæſtuatione eleemoſynarum etiam ijs diebus, quibus ipſi quærere ſolent, ex decreto Sac. Congr. Regularium. n.144

Miſſam de Sanctiſſimo Sacramento celebrandi ſingulis quintis ferijs nō impeditis conſuetudo confirmatur à Summo Pontif. & eidem præſentibus indulgentiæ conceduntur. n.1. & 2.p.35

Miſſam,& Officium de B.V. TERESIA celebrandi conceſsio. p.113

Extenditur dicta conceſsio. p.118

Miſsionibus deſtinata Monaſteria vbique inſtituēdi facultas. n.1.p.85

Mitigatos recipere non teneatur Diſcalceati. n.1.p.20

Monaſteria de ſola Ordinarij licentia vbiq; extruendi conceſsio. n.1.p.83

Monaſteria miſsionibus deſtinata vbiq; Diſcalceati poſſunt erigere. n.1.p.85

Monaſterij Monialium Diſcalceatorum de Vrbe inſtitutio. n.2.p.136

Monaſterio prædicto communicantur priuilegia omnia aliorum eiuſdem Ordinis Monaſteriorum. n.3.p.136.

Monaſterij prædicti gubernium Superioribus eiuſdem Ordinis demandatur. n.4.p.137

Monaſterij Neapolitan. Monialium S. Ioſeph in Ieſu Maria erectionis litera. p.133

Litera extractionis Monialium à Monaſterio Ianuen. pro eodem Monaſterio Neapolitan. p.133

Monaſterij Monialium Diſcalceatorum in Ciuitate Cremona cōceſsio. n.1.p.139

Monaſterio prædicto conferuntur priuilegia aliorum Monaſteriorum eiuſdem Ordinis. n.2.p.139

Illius gubernium Superioribus prædicti Ordinis cōmittitur. n.3.p.140

Monaſterij Monialium Diſcalceatorum Auenionis conceſsio. n.1.p.142

Monaſterio prædicto conferuntur priuilegia aliorum Monaſteriorum eiuſdem Ordinis. n.2.p.142

Eius gubernium Superioribus prædicti Ordinis cōmittitur. n.3.p.143

Moniales ad fundationes exire,& ad priſtina Monaſteria redire valent, & quomodo. n.10.p.40

Moniales,& earum negocia ſoli Capitulo, & Generali, ac Diffinitoribus remittuntur. n.14.p.41

Moniales nihil omnino proprij nec ad vſum poſsidere poſſunt. n.12.p.41

Moniales vltra quatuordecim in ſingulis Monaſterijs recipi nequeunt n.11.p.41

Prioriſſæ recipientes vltra dictum numerum, priuantur officio, receptio tamen valeret. n.11.p.41

Moniales tenentur ad inſtar Fratrū Diuinum Officium recitare. n.7.p.40

Monialibus ſuæ Prouinciæ debent ſinguli Prouinciales de ordinarijs confeſſoribus prouidere ſublata facultate eligendi aliàs Prioriſsis conceſſa. n.8.p.40

Monialium certus numerus conſtituitur ſingulis Monaſterijs. n.6. pag. 40

Monialium conſtitutiones quaſdam Summ. Pont. moderatur. n.9.p.40

Mo-

Monialium Conſtitutiones, & Superiorum præcepta nec ad mortale, nec ad veniale peccatum obligant præter caſus expreſſos. n.13 p.41
Monialium Commiſſarius generalis abrogatur. n.5.p.39
Geſta per dictum Commiſſarium reuocantur. n.15.p.41
Monialium cura ſuis Prouincialibus demandatur abrogato earum Commiſſario generali. n.5.p.39
Monialium quarumcunque cura, & gubernium probibetur Diſcalceatis præterquàm Monaſterij de Ieſu Maria Ianuen. n.8.p.70
Monialium quæ ſunt in Belgio Diſcalceatis gubernium demandatur. p.134
Mortuo generali Vicario quid agendum. n.10.p.30
Mortuo Priore Prouinciali, aut locali quid agendum. ibid.

N

NEgotia Congregationis proceſſum requirentia Vicario generali, & Diffinitoribus remittuntur. n.3.p.39
Negotia omnia Congregationis ſoli Capitulo, & Generali, ac Diffinitoribus remittuntur. n.14.p.41
Negotia Congregationis Hiſpaniæ in Romana Curia adminiſtrare Diſcalceatis Italiæ probibetur. n.4.p.62

O

OFficium Conſiliariorum quandiu duret. n.5.p.29
Officium Priorum tàm Prouincialium quàm localium, quando expiret. ibid.
Officium Vicarij generalis quandiù duret. ibid.
Officium Generalis Vicarij vacante quid agendum. n.10.p.30
Officio Priorum vacante quid agendum. ibid.
Officium diuinum recitare iuxta ritum S. R. E. Diſcalceatis indulgetur. n.3.p.17
Officium diuinũ recitare debent Moniales Diſcalceatæ ad inſtar Fratrum. n.7.p.40
Officium, & Miſſam celebrare de B. V. Tereſia conceditur. p.113
Extenditur hæc conceſſio. p.118
Ordo Carmelitarum Diſcalceatorum eſt vnus ex quatuor Mendicantium. n.1.p.75.
Ordini Carmelitarum Diſcalceatorũ competunt omnes prærogatiuæ, & priuilegia Carmelitarum. ibid.
Nullo tempore locum antiquitatis amittit. n.2.p.76
Ad generales Proceſſiones compelli non poteſt. n.3.p.76
Confirmantur prædicta, & vbiq; procedere declaratur. n.2. & 3. p.80
Confirmatur iterum per Paulum Quintum. n.9.p.98
Vbiq; locorum erigere poteſt Monaſteria de ſola Ordinarij licentia. n.1.83.
Et Monaſteria miſſionibus deſtinata. n.1.p.85.
Ordinis prædicti Fratribus ad conuerſionem infidelium properantibus conceditur indulgentia plenaria. n.2.p.85

P

P. Petrus à Matre Dei Carmelita Diſcalceatus conſtituitur ſuperinten-

intendens Reformatorum S. Auguſtini. n.1.p.64
Idem præficitur Cõgregationi Diſcalceatorum Italiæ ſub titulo Commiſſarij. n.9.p.70
Præcedendi Fratribus B. Mariæ de Mercede facultas. n.3.p.76
Præpoſitus generalis cum ſex Conſultoribus decernitur abrogato Vicarij nomine. n.5.p.46
Præcepta Superiorum nec ad mortale nec ad veniale peccatum obligant, præter caſus expreſſos. n.13.p.41
Præpoſitus generalis Congregationi Diſcalceatorum Italiæ conceditur tota authoritate Commiſſarij generalis in ipſum tranſeunte. n. 9. p.70
Præpoſitus generalis ſtatim electus ipſo facto eſt confirmatus, ſed Cardinalem Protectorem de electione certiorem faciet. n.10.p.48
Præpoſitus generalis quamdiù duret. ibid.
Præpoſiti generalis, & Conſultorum, ſeu Diffinitorum conſeſſio nomine Congregationis ſeu Conſultæ appellatur. n.8.p.47
Præpoſito generali datur facultas erigendi Monaſteria, & inſtituendi plures Prouincias. n.12.p.48
Præpoſito generali, & cæteris Fratribus Diſcalceatis omnia, & ſingula priuilegia, & Indulgentiæ Ordinis Carmelitarum communicantur, & extenduntur. n.13.p.48
Præpoſito generali abſente à Conſulta, vel ægrotante, vel moriente quid agendum. n.9.p.47
Prærogatiuæ omnes, & priuilegia Carmelitarum Diſcalceatis competunt. n.1.p.75
Prior localis vſque ad grauem culpam incluſiuè cognoſcit. n.4.p.39
Priore mortuo quid agendum. V. n.10.p.30
Priores quomodo eligantur. n.3.p.28
Prioriſſa an reeligi poſſit. p.6.n.40
Prioriſſa recipiens vltrà quatuordecim Moniales in ſuo Monaſterio, priuatur officio, receptio tamen valet. n.11.p.41
Priuilegia olim conceſſa Prouinciæ Diſcalceatorum, eorundem nuper erectæ Congregationi competere declaratur. n.17.p.32
Priuilegia omnia, & Indulgentiæ Ordinis Carmelitarum Diſcalceatis conceduntur. n.7.p.10
Iterum cõmunicantur. n.13.p.48
Priuilegia omnia Ordini Carmelitarum, tàm principaliter quàm per communicationem conceſſa, Diſcalceatis verè & propriè competunt. n.1.p.51
Priuilegia omnium Ordinum etiam Mendicantium conceſſa, & concedenda, verè & propriè Diſcalceatis competunt. n.2.p.52
Priuilegia Congregationis Hiſpaniæ Conuentui S. Mariæ de Scala de Vrbe communicantur. n.1.p.60
Proceſſionibus publicis intereſſe non compelluntur Diſcalceati. n.3.p.58
Idem confirmatur. n.3.p.76
Et iterum per Paulũ V. n.9.p.98
Procuratorem habere in Romana Curia Diſcalceatis Hiſpaniæ conceditur. n.4.p.17
Prohibetur Diſcalceatis Italiæ ſuſcipere Diſcalceatos Cõgregationis Hiſpaniæ abſque eiuſdem Congregationis Præpoſiti licentia. n.4.p.62
Prohibetur Diſcalceatis Italiæ adminiſtrare negocia Congregationis Hiſpaniæ. n.4.p.63
Prohibetur Diſcalceatis tranſitus ad Mitigatos, & alios Ordines præterquam

Digitized by Google

terquàm Carthuſianorũ. n.8.p.11
Confirmatur eadem prohibitio. n.9.p.98
Prohibetur tranſitus ad Fratres B. M. de Mercede. n.1.p.90
Prohibetur tranſitus ad Camaldulenſes. p.115
Prohibetur tranſitus à Congregatione Hiſpaniæ ad Diſcalceatos Italiæ, & è conuerſo. n.3.p.61
Proprietarios & nefarios Fratres puniendi facultas. n.5.p.22
Prouincia prima Diſcalceatorum erigitur in Regnis Hiſpaniarũ, cum Priore Prouinciali, & certa ſubordinatione Generali totius Ordinis. n.2. & 3. p. 9
Separatur à Mitigatis. ibid.
Prouincia eadem diuiditur in plures, & ex ijs vna Congregatio erigitur. n.2 p.28
Prouincialis authoritas in Capitulo, & extra. n.5.p.10
Eiuſdem authoritas quæ ſit, & quando incipiat. vide n.13.p.31
Prouinciales quomodò eligendi. n.3. pag.28
Prouinciales ad eandem Prouinciam vel aliam an iterum reeligi poſſint. n.1.p.39
Prouinciales ſuæ Prouinciæ Fratres ac Moniales regere debent, & eorum culpas (excepta grauiſſima) punire poſſunt. n.2.p.39
Prouinciales debent ſuæ Prouinciæ Monialibus de ordinarijs Confeſſoribus prouidere. n.8.p.40
Prouincialibus demandatur cura Monialium abrogato Commiſſario generali. n.5.p.39
Prouinciæ ſingulæ ſingulos habere debent Conſultores dummodo ſenarius numerus non excedatur. n. 6. pag. 47
Publicos delinquentes puniendi facultas. n.6.p.22
Quibus interdicitur appellatio à ſententia per Prouincialem lata. n.7.p.22
Puniri geſtantes extrà Congregationem habitum Carmelitarum Diſcalceatorum, vel ei ſimilem à Superioribus poſſunt. n.4.p.21
Puniri etiam poſſunt transfugæ, & apoſtatæ. ibid.

Q

QVartam funeralium ſoluere Diſcalceati non tenentur. n.3. & 4. p. 55

R

REcitare diuinum officium iuxtà ritum S. R. E. Diſcalceatis conceditur. n.3.p.17
Recitandi Officium de B.V. Tereſia à Ieſu facultas. p.113
Eadem conceſſio extenditur. p.118
Regulæ primitiuæ declaratio, & confirmatio facta per Innocentium iv. pag. 1
Regula primitiua. p.2

S

SAncta Maria de Scala Conuentus erigitur, & à Congregatione Hiſpaniæ ſeparatur. n.1.p.60
Scapulare B. M. V. quomodo concedendum ſit ſæcularibus ex concordia, & illius confirmatione deſuper facta. n.2. & 3. p.127
Semel eiectos recipere Diſcalceati non tenentur. n.8.p.22
Seminarium S. Pauli in monte Quirinali erigitur cum communicatione

ne

Digitized by Google

ne omnium priuilegiorum Mendicantium, & non mendicantium. n.2. & 3. p.112
Separatio totalis Diſcalceatorum à Mitigatis. n.3. & 4 p.45
Eadem confirmatur à Paulo v. n.9.p.98
Superintendentia P. Petri à Matre Dei Carmelitæ Diſcalceati in Reformatos S. Auguſtini. n.1.p.64
Superiores conferentes habitum alicui non ſeruata forma excommunicantur. n.3.p.21
Superioritas Generali totius Ordinis in Diſcalceatos olim reſeruata declaratur & limitatur. n.14.p.31
Superiorum præcepta nec ad mortale, nec ad veniale peccatum obligant, præter caſus expreſſos. n.13.p.41

T

Ransfugas & Apoſtatas puniendi licentia. n.4.p.21
Tranſitus ad Mitigatos, & alios Ordines, præterquàm Carthuſianorum, prohibetur. n.8.p.11
Confirmatur eadem prohibitio à Paulo v. n.9.p.98
Tranſitus à Congregatione Hiſpaniæ ad Diſcalceatos Italiæ, & è conuerſo prohibetur. n.3.p.61
Tranſitus ad Fratres B. M. de Mercede nõ eſt permiſſus. n.1. & 2 p.90
Tranſitus ad Camaldulenſes interdicitur. p.115

V

Endere quæcunque bona immobilia, cenſus, & loca montium conceditur Diſcalceatis, & quomodo facienda ſit venditio. p.120
Vendendi bona ſtabilia facultas alia. pag. 122
Vicarius generalis quando interuentu ſex Conſultorũ vtatur. n.4.p.28
Vicarius generalis quæ poſſit per ſe agere. ibid.
Vicarius generalis quando incipiat exercere ordinaria ſui officij, & quando grauiora. n.8.p.29
Vicarius generalis cum duobus Socijs, ac voce actiua & paſſiua, & loco congruenti debet intereſſe Capitulo generali totius Ordinis. n.15.p.32
Vicarij generalis officium quandiù duret. n.5.p.29
Vicarij generalis facultas in condendis legibus, & Monaſterijs erigendis. n.11.p.30
Vicario generali ante ſexennium vita functo quid agendum. n.10 p.30
Vicarij generalis nomine abrogato Præpoſitus generalis cum ſex Conſultoribus Diſcalceatis conceditur. n.5.p.56

FINIS.

PRIVILEGIVM INNOCENTII IIII. Continens Confirmationem, & Declarationem Regulæ Primitiuæ Ord. B. Virg. MARIÆ de Monte Carmeli.

INNOCENTIVS Epiſcopus Seruus Seruorum Dei.

DILECTIS filijs Priori,& Fratribus Eremitis Ordinis Beatæ MARIAE de Monte Carmeli ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quæ honorem Conditoris omnium, & profectum continẽt animarum, roboris præſidio ſunt fulcienda perpetui, ſed illa præcipuè, ſuper quæ Apoſtolicæ Sedis authoritas ſalubris prouidentiæ ſtudium noſcitur habuiſſe. Cum itaq; nos ad veſtræ ſupplicationis inſtantiam per dilectum filium Hugonem tit. Sanctæ Sabinæ Presbyterũ Cardinalem, & Venerabilem Fratrẽ noſtrum Guillielmum Antheradenſem Epiſcopum quædam veſtræ Regulæ dubia declarari, ac corrigi, ac etiam ipſius quædam grauia miſericorditer fecerimus mitigari, prout in literis inde confectis plenius continetur. Nos veſtris pijs deſiderijs annuentes declarationem, & correctionem,ac mitigationem huiuſmodi authoritate Apoſtolica confirmamus,& præſentis ſcripti patrocinio communimus. Tenorem verò literarum ipſarum de verbo ad verbum fecimus præſentibus annotari, qui talis eſt.

Frater Hugo diuina miſeratione tit. S. Sabinæ Presbyter Cardinalis, & Frater Guillielmus eadem miſeratione Antheradẽſis Epiſcopus Chariſſimis in Chriſto filijs Religioſis Priori Generali, & Diffinitoribus Capituli Generalis Ordinis Fratrum Glorioſiſſimæ Dei Genitricis,ſemperq; Virginis Mariæ de Mõte Carmeli,ſalutem in omniũ ſalutari. Accedentes ad Apoſtolicam Sedem Fratres Clerici Reginaldus, & Petrus Ordinis veſtri, ex parte veſtra à Domino Papa humiliter poſtularunt, vt quædam,quæ in Priuilegio veſtro,& Regula olim vobis à fel. memor. Alberto Patriarcha Hieroſolymitano tradita continentur, dubia declarare,corrigere,ac etiam quædam grauia mitigare miſericorditer dignaretur. Cum igitur Dominus Papa eorum deuotis ſupplicationibus annuendo, nobis commiſerit, vt declarationem, correctionem,& mitiga-

tionem huiuſmodi faceremus vice ipſius, ſecundum quod bono ſtatui Ordinis, & Fratrum ſaluti expediens videremus. Religioni veſtræ, qua fungimur authoritatē mandamus, quatenus Regulam à nobis correctã, declaratam, & mitigatam (prout expedire vidimus) deinde recipientes, eam firmiter obſeruetis, & ad inſtar eiuſdem alias veſtras Regulas corrigatis, quam vobis per eoſdem fratres ſub ſigillis noſtris mittimus in hac forma.

Albertus Dei gratia Hieroſolymitanæ Eccleſiæ vocatus Patriarcha, dilectis in Chriſto filijs Brocardo, & cæteris Fratribus Eremitis, qui ſub eius obedientia iuxta fontem Eliæ in Monte Carmeli morantur, in Domino ſalutem, & ſancti Spiritus benedictionem. Multifarie, multiſq; modis ſancti Patres inſtituerunt, qualiter quiſq; in quocunq; Ordine fuerit, vel quemcũq; modum religioſæ vitæ elegerit, in obſequio IESV Chriſti viuere debeat, & eidem fideliter de corde puro, & conſcientia bona deſeruire. Verum, quia requiritis à nobis, vt iuxta propoſitũ veſtrum tradamus vobis vitæ formulã, quam tenere in poſterum debeatis.

De Priore habendo, & tribus ſibi promittendis.

Illud in primis ſtatuimus, vt vnum ex vobis habeatis Priorem, qui ex vnanimi, omniumq; aſſenſu, vel maioris, & ſanioris partis ad hoc officium eligatur, cui obedientiam promittat quilibet aliorum, & promiſſam ſtudeat operis veritate ſeruare cum caſtitate, & abdicatione proprietatis.

De Receptione locorum.

Loca autem habere poteritis in Eremis, vel vbi donata vobis fuerint, ad veſtræ Religionis obſeruantiam apta, & commoda, ſecundum quod Priori, & Fratribus videbitur expedire.

De Cellis Fratrum.

Præterea iuxta ſitum loci, quem inhabitare propoſueritis, ſinguli veſtrum ſingulas habeant Cellulas ſeparatas, ſicut per diſpoſitionem Prioris ipſius, & de aſſenſu aliorum Fratrum, vel ſanioris partis eædem cellulæ cuique fuerint aſſignatæ: (Ita tamen, quod in communi Refectorio ea, quæ vobis erogata fuerint, communiter aliquam lectionem ſacræ Scripturæ audiendo, vbi commode poterit obſeruari, ſumatis.) Nec liceat alicui Fratrum, niſi de licentia Prioris, qui pro tempore fuerit, deputatum ſibi mutare locum, vel cum alio permutare. Cellula Prioris ſit iuxta introitum loci, vt venientibus ad eundem locum primus occurrat, & de arbitrio, & diſpoſitione ipſius

poſt-

poſtmodum, quæ agenda ſunt, cuncta procedant. Maneant ſinguli in cellulis ſuis, vel iuxta eas die, ac nocte in lege Domini meditantes, & in orationibus vigilantes, niſi alijs iuſtis occaſionibus occupentur.

De Horis Canonicis.

Hi, qui Horas Canonicas cum Clericis dicere norunt, eas dicant ſecundum Conſtitutionem Sanctorum Patrum, & Eccleſiæ approbatam conſuetudinem; qui eas non nouerint, vigintiquinque vicibus Pater noſter dicãt in nocturnis vigilijs, exceptis Dominicis, & ſolẽnibus diebus, in quorum vigilijs prædictum numerum ſtatuimus duplicari, vt dicatur Pater noſter vicibus quinquaginta: ſepties autem eadem dicatur oratio in Laudibus Matutinis; in alijs quoque Horis ſepties ſimiliter eadem dicatur oratio ſigillatim, præter officia veſpertina, in quibus ipſam quindecies dicere debeatis.

De non habendo proprium.

Nullus Fratrum ſibi aliquid proprium eſſe dicat; ſed ſint vobis omnia communia, & diſtribuantur vnicuiq; per manum Prioris, vel per Fratrem ab eodem ad idem officium deputatum, prout cuiq; opus erit, inſpectis ætatibus, & neceſſitatibus ſingulorum.

Quod licet habere in communi.

Aſinos autem, ſiue Mulos, prout veſtra expoſtularit neceſſitas, vobis habere liceat, & aliquot animalium, ſiue volatilium ad nutrimentum.

De Oratorio, & cultu Diuino.

Oratorium, prout commodius fieri poterit, conſtruatur in medio cellularum, vbi mane per ſingulos dies ad audendienda Miſſarum ſolennia conuenire debeatis, vbi hoc commode fieri poteſt.

De Capitulo, & correctione Fratrum.

Dominicis quoque diebus, vel alijs, vbi opus fuerit, de cuſtodia Ordinis, & animarum ſalute tractetis: vbi etiam exceſſus, & culpæ Fratrum, ſi quæ in aliquo deprehenſæ fuerint, charitate media corrigãtur.

De Ieiunio Fratrum.

Ieiunium ſingulis diebus, exceptis Dominicis, obſeruetis à Feſto Exaltationis Sanctæ Crucis vſque ad diem Dominicæ Reſurrectionis, niſi infirmitas, vel debilitas corporis, aut alia iuſta cauſa ieiunium ſolui ſuadeat, quia neceſſitas non habet legem.

De abſtinentia carnium.

Ab eſu carnium abſtineatis, niſi pro infirmitatis, vel debilitatis remedio ſumantur. Et quia vos oportet frequentius mendicare itineran-

tes,ne ſitis hoſpitibus oneroſi,extra domos veſtras ſumere poteritis pulmenta cocta cum carnibus: ſed & carnibus ſupra mare veſci licebit.

Exhortationes.

Quia verò tentatio eſt vita hominis ſuper terram, & qui piè volunt viuere in Chriſto,perſecutionem patiuntur: aduerſarius quoque veſter Diabolus tanquam Leo rugiens, circuit quærens quem deuoret, omni ſollicitudine ſtudeatis indui armatura Dei, vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias inimici. Accingendi ſunt lumbi veſtri cingulo caſtitatis,muniendum eſt pectus cogitationibus ſanctis. Scriptũ eſt enim, cogitatio ſancta ſeruabit te. Induenda eſt lorica iuſtitiæ, vt Dominum Deum veſtrũ ex toto corde veſtro, ex tota anima veſtra, & tota virtute diligatis, & proximum veſtrum tanquam vos ipſos. Sumendum eſt in omnibus ſcutũ Fidei,in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere: ſine fide enim impoſſibile eſt placere Deo. Galea quoque ſalutis capiti imponenda eſt, vt de ſolo Saluatore ſperetis ſalutem, qui ſaluũ facit populum ſuum à peccatis eorum. Gladius autem ſpiritus, quod eſt verbũ Dei, abundanter habitet in ore, & in cordibus veſtris; & quæcunque vobis agenda ſunt,in verbo Domini fiant. Faciendum eſt vobis aliquid operis,vt ſemper Diabolus inueniat vos occupatos,ne ex otioſitate veſtra aliquem intrandi aditum ad animas veſtras valeat inuenire. Habetis in hoc B. Pauli Apoſtoli magiſterium pariter,& exemplum, in cuius ore Chriſtus loquebatur, qui poſitus eſt à Deo Prædicator, & Doctor gentium in fide, & veritate, quem ſi ſecuti fueritis,non poteritis oberrare; In labore (inquit) & fatigatione fuimus inter vos nocte,& die operantes,ne quem veſtrum grauaremus, nõ quaſi nos non haberemus poteſtatem,ſed vt noſmetipſos formam daremus vobis ad imitandum nos. Nam,cum eſſemus apud vos, hoc denunciabamus vobis; quoniam, ſi quis non vult operari,non manducet. Audiuimus enim inter vos quoſdam ambulantes inquiete, nihil operantes. His autem, qui huiuſmodi ſunt, denunciamus,& obſecramus in Domino IESV Chriſto,vt cum ſilentio operantes, panem ſuum manducent. Hæc via ſancta,& bona, ambulate in ea.

De Silentio.

Commendat autem Apoſtolus ſilentium,cum in eo pręcipit operandum. Et,quemadmodum Propheta teſtatur, cultus Iuſtitiæ ſilentiũ eſt. Et rurſus,in ſilentio, & ſpe erit fortitudo veſtra. Ideoq; ſtatuimus, vt dicto Completorio ſilentiũ teneatis vſq; ad Primam dictam ſequentis

diei: Alio vero tempore licet ſilentij non habeatur obſeruantia tanta, diligentius tamen à multiloquio caueatur: Quoniã ſicut ſcriptũ eſt, & nõ minus experientia docet, in multiloquio peccatum non deerit: Et qui inconſideratus eſt ad loquendum, ſentiet mala: Item qui multis vtitur verbis, lædit animam ſuam: Et Dominus dicit in Euangelio, De omni verbo otioſo, quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die Iudicij. Faciat ergo vnuſquiſq; ſtateram verbis ſuis, & frenos rectos ori ſuo, ne forte labatur, & cadat in lingua ſua, & inſanabilis ſit caſus eius ad mortem, cuſtodiens cum Propheta vias ſuas, vt non delinquat in lingua ſua; & ſilentium, in quo cultus Iuſtitiæ eſt, diligenter, & caute ſtudeat obſeruare.

Exhortatio Prioris ad Humilitatem.

Tu autẽ Frater Brocarde, & quicũque poſt te inſtitutus fuerit Prior, illud ſemper habeatis in mente, & obſeruetis in opere, quod Dominus ait in Euangelio, Quicunque voluerit inter vos maior fieri, erit miniſter veſter: & quicũque voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſeruus.

Exhortatio Fratrum, vt Priorem ſuum honorent.

Vos quoque cæteri Fratres, Priorem veſtrum honorate humiliter, Chriſtum potius cogitantes, quam ipſum, qui poſuit ipſum ſuper capita veſtra: & Eccleſiarũ Præpoſitis ait, Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit, vt nõ veniatis in iudicium de contemptu; ſed de obedientia mereamini vitæ æternæ mercedem. Hęc breuiter ſcripſimus vobis, conuerſationis veſtræ formulam ſtatuentes, ſecundum quam viuere debeatis. Si quis autem ſupererogauerit, ipſe Dominus, cũ redierit, reddet ei: Vtatur tamen diſcretione, quæ virtutum eſt moderatrix. Ex Achon Idib. Ianuarij Anno Domini milleſimo centeſimo ſeptuageſimo primo. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ Confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire: ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli ſe nouerit incurſurum. Datum Lugduni Kal. Septemb. milleſimo ducenteſimo quadrageſimo octauo, Pontificatus noſtri anno quinto.

Erectio

Erectio primæ Prouinciæ Carmelitarum Diſcalceatorum in Regnis Hiſpaniarum.

1 Carmelitarum Diſcalceatorum pro erectione Prouinciæ ſupplicatio.
2 Approbatio inſtituti Diſcalceatorum, & eorũ ſeparatio à Mitigatis.
3 Erigitur Prouincia Diſcalceatorum cum Priore Prouinciali reſeruata certa ſuperioritate Generalis totius Ordinis.
4 Forma à Priore Generali ſeruanda in viſitatione Diſcalceatorum.
5 Authoritas Prouincialis Diſcalceatorum in Capitulo, & extrà.
6 Facultas eiuſdem fundandi vbiq; Monaſteria, & quando incipiat ſuum officium exercere.
7 Conceduntur Diſcalceatis omnia Priuilegia, & Indulgentiæ Ordinis.
8 Prohibetur Diſcalceatis tranſitus ad Mitigatos, vel alium Ordinem, præterquàm Carthuſianorum.
9 Reuocatur quæcũq; facultas, vel iuriſd. Mitigatorũ in Diſcalceatos.

GREGORIVS PAPA XIII, Ad perpetuam rei memoriam.

PIA conſideratione Romanum decet Pontificem circa ſtatum Religioſorum ita attendere, vt ipſi Religioſi Regulã, quam ab initio profeſſi ſunt, obſeruare nitẽtes ab omni moleſtia vindicentur. Exponi ſiquidem nobis nuper, fecerũt Chariſſimus in Chriſto filius noſter Philippus Hiſpaniarum Rex Catholicus, & Dilecti filij Religioſi Diſcalceati nuncupati, Ordinis Beatæ MARIAE de Monte Carmeli in Regnis Hiſpaniarum exiſtẽtes; Quòd cùm alias fœl. rec. Innocentius Papa Quartus Prædeceſſor noſter ſupplicationibus Prioris, & Fratrũ Eremitarum B. MARIAE de Monte Carmeli ea in parte inclinatus, declarationem, & correctionem Regulæ eorum Ordinis à bon. me. Alberto Patriarcha Hieroſolymitano ſibi traditæ, per bonæ etiam memoriæ Hugonem tituli S. Sabinæ Presbyterum Cardinalem, & Guillielmum Epiſcopum Antheradenſem, de eiuſdem Innocentij Papæ mandato factã, & per eoſdem Fratres firmiter obſeruandam confirmaſſet: ac poſtmodum piæ memoriæ Eugenius Papa IIII. Prædeceſſor noſter, per eũ accepto,

Digitized by Google

quòd in quibuſdam Capitulis dictæ Regulæ inter alia cauebatur, quod Fratres prædicti Ordinis ab eſu carnium ſe abſtinerent, niſi pro infirmitatis, vel debilitatis remedio: eiſdem etiam quòd ſingulis diebus (Dominicis dumtaxat exceptis) à feſto Exaltationis Sãctæ Crucis vſq; ad Feſtiuitatem Reſurrectionis Domini Noſtri IESV Chriſti ieiunare tenerentur: quódq; ſinguli eorum manere deberent in cellis ſuis, die, ac nocte in Lege Domini meditantes, & in Orationibus vigilantes, præcipiebatur; rigorem huiuſmodi mitigans, ac Regulã ipſam moderans ſtatuiſſet, ordinaſſet, & cõceſſiſſet, quòd dicti Ordinis Profeſſores tunc, & pro tempore exiſtentes tribus dumtaxat diebus ſingularum hebdomadarum, etiam quibus (vt præfertur) ieiunare iuxta eandem Regulam adſtricti, præterquam in Aduentu, & in Quadrageſima, & alijs generalibus prohibitis diebus, carnibus veſci, ac horis congruis in eorum Eccleſijs manere, & per clauſtra, ac eorum ambitus deambulare liberè, & licitè valerent. Decernẽs, eoſdem Fratres, & eorum ſingulos circa præmiſſa ad arctiorem obſeruantiã, quã ſupra præmittitur, occaſione Profeſſionis in dicto Ordine emiſſæ, vel in poſterũ emittendæ minimè teneri. Et alias prout in eorundem Innocentij, & Eugenij Literis deſuper confectis plenius continetur.

Demum de anno Domini M.D.L X V. ſeu alio veriori tempore nonnulli dicti Ordinis Profeſſores (Diuina inſpirante gratia) primũ dictæ Regulæ inſtitutum imitari cupientes, poſtpoſitis quibuſcunq; corporis commodis, dummodo Chriſtum lucrifacerent, cum licentia ſui Prioris Generalis tunc in Hiſpaniarum partibus exiſtentis ibi aliquot Fratrum, & Monialium Monaſteria, in quibus Primitiua Regula prædicta cum omni obſeruantia, & rigore retineretur (ſub obedientia tamen Prouincialis) fundare, & ædificare cœperunt. Quam quidem Regulam, & obſeruãtiam Fundatores prædicti, ac etiam qui pro tempore admittebantur ex Mitigatis, renunciando mitigationi, & relaxationi dicti Eugenij Prædeceſſoris, tranſacto probationis anno denuò, ac etiam alij de ſeculo venientes profitebantur. Et ſucceſſiue (benedicente Domino) numerus Religioſorum primitiuam Regulã huiuſmodi profitentium, & obſeruantiũ adeo hoc tempore excreuit, vt de præſenti vigintiduę domus Fratrum, & Monialium huiuſmodi, in quibus fere trecenti Fratres, & ducentæ Moniales exiſtunt deuotũ Altiſſimo famulatum exhibentes, in prædictis Regnis Hiſpaniarum reperiantur. Religioſi autem huiuſmodi, vltra contenta in Regula

prædi-

Digitized by Google

prædicta de licentia dicti Generalis, & cuiuſdam Vicarij ab eodem Generali in Prouincia Caſtellæ deputati, ac cum approbatione Viſitatorum Apoſtolicorum, qui fuerunt dictæ Religionis, quædam inſtituta ad carnis mortificationem, & populi ædificationem ab initio ſuæ inſtitutionis obſeruare cœperunt: veluti diſcalceatos incedere (vnde Diſcalceatorum nomẽ ſortiti ſunt) indui ſacco, dormire ſuper tabulis, ad ſubleuandam ſuam inopiam manibus proprijs operari, multum in oratione ſe exercere, atque Diuinum Officium ſine cantu, ſeu modulatione recitare.

1 Cum autẽ (ſicut eadem expoſitio ſubiungebat) ipſis Religioſis Diſcalceatis quamplures moleſtiæ, & impedimenta eorum pium inſtitutum turbantia, per Fratres mitigatam ab eodem Eugenio Prædeceſſore Regulam (vt præfertur) profitentes, Mitigatos nuncupatos, ſuper præmiſſis illatæ fuerint, ipſiq; Diſcalceati Prælatum ordinariũ ex ſuis Diſcalceatis (vt par eſſet) non habeant, ſed ad præſens per dilectum filium Angelum de Salazar ex Fratribus Mitigatis Vicariũ Generalem à Venerabili Fratre Philippo Epiſcopo Placentino in dictis Regnis noſtro, & Apoſtolicæ Sedis Nuncio (donec de idoneo Superiore eiuſdem Profeſſionis Diſcalceatorum prouideatur) deputatum regantur: ac ſummopere cupiant ad eorundem quietẽ, & tranquillitatem conſeruandam, ac pro Religionis, & ſtrictæ eorum obſeruantiæ, atq; inſtituti progreſſu, & augmento, vt de omnibus Monaſterijs, quæ in dictis Regnis nunc ſunt, & pro tempore erunt, vel erigẽtur, ipſorum Diſcalceatorum tàm virorum, quàm mulierum dictam primitiuam regulam profitentium, vna Prouincia fiat ſeparata à Prouincijs Fratrum Mitigatorũ huiuſmodi, quæ ſubſit immediate Priori Generali dicti Ordinis, & gubernetur per Priorẽ Prouincialẽ ex ipſiſmet Fratribus Diſcalceatis in Capitulo dictæ Prouinciæ canonicè eligendum, prout alij Priores Prouinciales eiuſdem Ordinis in ſimilibus Capitulis Prouincialibus eliguntur, & deputantur. Propterea tã dicti Religioſi Diſcalceati, quàm dictus Philippus Rex (qui profectum Religioſorum huiuſmodi maximè exoptat) nobis humiliter ſupplicare fecerunt, vt honeſtis petitionibus huiuſmodi annuere, & aliàs in præmiſſis opportune prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

2 Nos igitur æquum, & rationi conſonũ ducentes, vt qui arctioris Regulæ obſeruantiam ſectantur, Superioribus eorum, qui in laxiori degunt,

gunt, non ſubiaceant: ſed quilibet eiuſdemmet profeſſionis ſuperiores habeat, & ab illis iuxta eorum inſtituta regularia proſpere, & fœliciter gubernentur: prædictorum Fratrum, & Monialium Diſcalceatorum trãquillitati, & indemnitati, eorumq; inſtituti propagationi, & profectui conſulere cupientes, eoſdem Fratres, & Moniales, eorũq; ſingulos à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſq; Eccleſiaſticis ſentẽtijs, cenſuris, & pęnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectũ præſentiũ dumtaxat cõſequẽdum harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cẽſentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati de Venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinaliũ ſuper viſitatione Apoſtolica, & conſultatione Epiſcoporum, ac Regulariũ reformatiõne deputatorũ (quibus hoc negocium examinandum mandauimus) conſilio inſtitutum huiuſmodi, quod iuxta primitiuã Regulam prædictã dicti Fratres Diſcalceati profitentur, laudantes, & approbãtes, dictos Fratres, & Moniales primitiuam Regulam huiuſmodi in Regnis Hiſpaniarum obſeruantes (Diſcalceatos nũcupatos) eorumq; Domos, Conuentus, Monaſteria, & Loca, nunc & pro tempore exiſtentia à Prouincijs Fratrũ, & Monialium eiuſdem Ordinis B. MARIAE de Monte Carmeli Regulam per prædictum Eugenium Prędeceſſorem mitigatàm nunc, & pro tempore obſeruantiũ, (Mitigatorũ nuncupatorum) penitus, & omnino in perpetuum authoritate Apoſtolica tenore præſentiũ ſeiungimus, ſeparamus, & diſmembramus, ipſoſq; Diſcalceatos ab omni, & quacunq; iuriſdictione, viſitatione, correctione, & ſuperioritate, Prioribus, Prouincialibus, & alijs Prælatis, & Superioribus Mitigatis in ipſos Diſcalceatos competente perpetuo eximimus, & liberamus.

3 Necnõ eorũdem Fratrũ, & Monialiũ Diſcalceatorum prędictorũ, Domos, Monaſteria, & Loca quęcũq; hactenus erecta, & inſtituta, ac in poſterũ erigenda, & inſtituenda in vnã Prouinciã de per ſe (Diſcalceatorũ nũcupandã) per vnũ Priorẽ Prouincialẽ in Capitulo dictæ Prouinciæ ex ijſdem Diſcalceatis (vt præfertur) eligẽdum, regẽdã, & gubernãdã in perpetuũ erigimus, & inſtituimus, ac dictã Prouinciã Fratrũ, & Monialiũ Diſcalceatorũ ſub obediẽtia, & ſuperioritate Prioris Generalis totius Ordinis prædicti, ſicut aliæ Prouinciæ eiuſdem Ordinis ei ſubſunt, & ſubiacent, perpetuo ſubeſſẽ atq; ſubiectam remanere, & ſubiacere volumus.

4 Qui per ſe ipſum tantum, vel per alium virum idoneum ex ipſis Fratribus Diſcalceatis, & iuxta eorum primitiuam Regulam, & Inſti-

tuta Regularia ab ipſis Fratribus Diſcalceatis obſeruari ſolita, eos viſitare, reformare, corrigere, & punire poſſit in Monaſterijs tamen, Domibus, & Locis eorundem Fratrum Diſcalceatorum, extrà quæ nullatenus ipſi Fratres Diſcalceati, vel aliquis eorum ab eodem Priore Generali quouis prætextu, vel occaſione amoueri, aſſignari, mutari, extrahi, aut trāsferri, aut ad alias Prouincias mitti, aut retineri poſſint, niſi aliter in eorum Capitulo Prouinciali fuerit ordinatum.

5 Ipſi vero dictæ Prouinciæ Diſcalceatorū Fratres in præmiſſis perpetuo eidem Priori Generali parere, & obedire, & cum ipſum ad eorum Monaſteria Domos, & Loca diuertere, aut pro viſitatione huiuſmodi, aut alias accedere contigerit, cum omni humilitate, & reuerentia benigne recipere, & pertractare, (prout decet) teneantur, & debeant. Necnon Priori Prouinciali eiuſdem Prouinciæ Fratrum Diſcalceatorū ipſos Fratres, & Moniales Diſcalceatos, illorūq; Domos, Monaſteria, & Loca quæcunque regendi, gubernādi, viſitandi, reformādi, corrigēdi, puniēdi, & caſtigandi, ac Capitulum Prouinciale ſuis loco, & tempore indicendi, conuocandi, congregandi, & celebrandi, & quoſcunque Officiales neceſſarios vna cum Capitularibus eligendi, ac quæcunque ſtatuta, & ordinationes bonum regimen dictæ Prouinciæ, ac Dei ſeruitium concernentia in eodem Capitulo condendi, mutandi, alterandi, & in totum (ſi videbitur) abrogandi, & de nouo edendi (dummodo ſacris Canonibus, & Decretis Sacri Generalis Concilij Tridentini, & Conſtitutionibus Apoſtolicis, ac eorum Primitiuæ Regulæ, & Inſtituto prædictis non aduerſentur) & abuſus quoſcunque tollendi, & emendandi.

6 Monaſteria itē, Domos, & Cōuentus tàm virorum, quàm mulierū, eiuſdē Prouinciæ in quibuſcunq; locis, cuiuſuis licētia deſuper minimè requiſita, de conſenſu dicti eorū Capituli, & aliàs ſeruata forma eiuſdē Concilij conſtrui, & ædificari faciendi: Ipſiq; Priori Prouinciali, vt poſtquam electus fuerit, officium ſuum exercere abſque vlla confirmatione (quam tamē à Priore Generali mox petere teneatur) plenam, & liberam facultatem concedimus, & impertimur.

7 Et inſuper omnib⁹, & ſingulis dictæ Prouinciæ perſonis vtriuſque ſexus, nūc, & pro tempore exiſtē, quod omnibus, & ſingulis priuilegijs, gratijs, & indulgētijs, exemptionibus, immunitatib⁹ prærogatiuis, fauoribus, & indultis, tā ſpiritualibus, quā temporalibus, quibus Fratres, ſeu Moniales, vel Sorores dicti Ordinis de iure, vel conſuetudine, aut alias quomodolibet vtuntur, potiuntur, & gaudent, vti, potiri, & gaudere

pote-

Digitized by Google

poterunt quomodolibet in futurum Decretis eiuſdem Concilij, Cõſtitutionibus Apoſtolicis, ac primitiuæ Regulæ, & Inſtituto prædictis, & præſentibus literis non contrarijs, vti, potiri, & gaudere liberè, & licitè valeant indulgemus.

8 Ne autem inſtituta dictæ Prouinciæ relaxentur, Fratribus, & Monialibus Diſcalceatis prædictis ſecundum dictam primitiuam Regulam profeſſis, ne ad ſuum Fratrum Mitigatorum, vel aliorum Ordinem, præterquam Carthuſianorum, ſine Apoſtaſiæ nota tranſire poſſint abſq; Sedis Apoſtolicæ licentia, perpetuo prohibemus: Inhibẽtes dicto Angelo de Salazar, & Priori Generali, ac Prouincialibus, & Cõmiſſarijs, alijſq; dictorum Fratrum Mitigatorum Prælatis, Miniſtris, & Officialibus, ne eoſdem Fratres Diſcalceatos, ſeu Moniales, aut Sorores huiuſmodi ſuper præmiſſis quoquomodo moleſtare, perturbare, vexare, ſeu inquietare audeant, vel præſumant. Quod ſi ſecus fecerint, eos, & eorũ ſingulos excommunicationis ſententia innodamus. Dicti vero Fratres Diſcalceati nullo modo parere, aut deferre teneantur, ſalua tamen in reliquis obedientia dicti Prioris Generalis dicti Ordinis, cui eos perpetuo ſubiectos eſſe, & ſubiacere voluimus, vt præfertur, liceatq; tam Priori Prouinciali dictæ Prouinciæ Fratrum Diſcalceatorum, quàm alijs eiuſdem Prouinciæ Fratribus (de licentia tamen ipſius Prioris Prouincialis) ad Sedẽ Apoſtolicã, & totius Ordinis Protectorẽ liberũ habere recurſum.

9 Et ſi alicui, vel aliquibus ex dictis Fratribus Mitigatis ſit conceſſa facultas viſitandi, aut gubernandi, ſeu puniendi dictos Fratres, ſeu Moniales Diſcalceatos etiam à nobis, aut à noſtro, & dictæ Sedis in partibus illis commorãte Nuncio, aut quocunque alio, facultatem huiuſmodi ex nunc caſſamus, reuocamus, & annullamus. Decernentes præſentes literas nullo vnquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ defectu, etiam ex eo, quod omnes intereſſe habentes forſan vocati non fuerint, notari, argui, ſeu impugnari, aut ſub quibuſuis reuocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, aut alijs contrarijs diſpoſitionibus, etiam ab eadem Sede emanatis, & in poſterum emanandis comprehendi poſſe: ſed illas ſemper validas, & efficaces exiſtere, ſuoſq; plenarios, & integros effectus ſortiri debere, ſicq; per quoſcunque Iudices, & Commiſſarios quauis authoritate fungentes (ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretãdi facultate, & authoritate) vbiq; iudicari, ac diffiniri debere. Nec non irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quocũq; quauis authoritate ſciẽter, vel ignoranter contigerit attentari.

Digitized by Google

Quocirca venerabilibus Fratribus Toletano,& Hiſpalenſi Archiepiſcopis,& Epiſcopo Palentino,ac dilecto filio cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ Generali Auditori,necnõ vniuerſis,& ſingulis Patriarchis, Archiepiſcopis,Epiſcopis,& alijs Eccleſiarum Prælatis,ac quibuſcunq; in dignitate Eccleſiaſtica cõſtitutis per præſentes mandamus,quatenus ipſi,vel duo,aut vnus eorum per ſe,vel alium,ſeu alios pręſentes literas, & in eis contenta quæcunq; vbi,& quando opus fuerit,aut quoties pro parte Fratrum Diſcalceatorũ prædictorum deſuper fuerint requiſiti, ſolenniter publicãtes, illiſq; in præmiſſis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes faciãt authoritate noſtra eos pręmiſſis omnibus,& ſingulis iuxta præſentium continentiam,& tenorem pacificè frui,& gaudere, non permittentes per Priorẽ Generalem, alioſq; prædictos quomodolibet indebite moleſtari,contradictores quoſlibet,aut rebelles,& pręmiſſis nõ parentes per ſententias,cenſuras,& pœnas Eccleſiaſticas,aliaq; opportuna iuris,& facti remedia (appellatione poſtpoſita) compeſcendo.Non obſtantibus pręmiſſis,ac alijs Apoſtolicis,necnon in Prouincialibus,& Synodalibus Concilijs editis generalibus,vel ſpecialibus Cõſtitutionibus, & Ordinationibus,ac etiã iuramẽto,cõfirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis,& conſuetudinibus,priuilegijs quoq; indultis, & literis Apoſtolicis eiſdem Mitigatis, vel quibuſuis alijs perſonis ſub quibuſcunque tenoribus,& formis,ac cum quibuſuis etiã derogatoriarũ derogatorijs,alijsq; efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſq; & alijs decretis in genere,vel in ſpecie,etiã Motu proprio, ac aliàs quomodolibet conceſſis,approbatis,& innouatis. Quibus omnibus,etiã ſi pro ſufficiẽti illorũ derogatione de illis,eorumq; totis tenoribus ſpecialis,ſpecifica,expreſſa,& indiuidua,nõ autẽ per clauſulas generales idem importantes mẽtio,ſeu quęuis alia expreſſio habenda,aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret,eorũ tenores pręſentibus pro expreſſis habentes,illis alias in ſuo robore permãſuris hac vice dumtaxat ſpecialiter,& expreſsè derogamus, contrarijs quibuſcunq; aut ſi aliquibus cõmuniter,vel diuiſim ab eadem ſit Sede indultũ;quod interdici,ſuſpendi,vel excõmunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam,& expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem. Cæterum , quia difficile foret earundem pręſentium literarum notitiam ad quaſcunque perſonas peruenire,& vbiq; illas præſentare,eadem authoritate volumus,& decernimus,quod tranſumptis earũdem præſentium literarum manu alicuius Notarij publici

ſub-

ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem fides vbiq; tã in iudicio, quàm extra illud adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſæ. Datũ Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die 22. Iunij M. D L X X X. Pontificatus noſtri anno nono.

Confirmatio erectionis, & ſeparationis Prouinciæ Diſcalceatorum per Gregorium XIII. factæ, cum facultate recitandi Diuinum Officium iuxta ritum S. R. E. & in Romana Curia Procuratorem habendi.

S V M M A R I V M.

1 *Enunciatur Priuilegium Gregorij XIII. ſuper erectione, & ſeparatione Prouinciæ Diſcalceatorum.*
2 *Confirmatio prædicti Priuilegij.*
3 *Facultas recitandi Diuinum Officium iuxta ritum S. R. Eccleſiæ.*
4 *Facultas in Romana Curia Procuratorem habendi.*

SIXTVS PAPA V. Ad perpetuam rei memoriam.

QVæ à Prædeceſſoribus noſtris pro perſonarum, maximè Religioſarum bono regimine, & mutua quiete, & concordia inter eas conſeruanda ſalubriter ordinata ſunt, ea vt firmiora perſiſtant, libenter, cum à nobis petitur, noſtram interponimus authoritatem.

Aliàs

Digitized by Google

1 Aliàs ſiquidem poſt confirmationẽ Regulæ Fratrũ Eremitarũ Ordinis B. MARIAE de Mõte Carmeli,quæ de mandato fęl. rec. Innocẽtij Papæ Quarti noſtri Prædeceſſoris à bo. mem. Hugone tit. S. Sabinæ Presb. Card. & Guillielmo Epiſcopo Antheradẽſi correcta, & declarata,ac deinde iuxta correctionẽ,& declarationẽ huiuſmodi ab eodem Innocentio Prædeceſſore comprobata fuiſſe aſſeritur: piæ me. Eug. Papa Quartus etiam Prędeceſſor noſter rigorẽ illius mitigãs, & Regulã ipſam moderans, ordinaſſe, & conceſſiſſe inter alia dicitur, ꝙ eiuſdem Ordinis Profeſſores tribus dumtaxat diebus ſingularũ hebdomadarũ,etiam quibus ieiunare iuxta eandem Regulam eſſent aſtricti, præterquàm in Aduentu,Quadrageſima,& alijs generaliter prohibitis diebus,carnibus veſci,& horis congruis in eorum Eccleſijs manere,ac per clauſtra, & eorũ ambitus deambulare liberè,& licitè valerent. Decernẽs eoſdem Fratres circa præmiſſa ad arctiorem obſeruantiam,quã ſuperius prẽmittitur,occaſione Profeſſionis in dicto Ordine emiſſæ, vel in poſterum emittendæ minimè teneri, & aliàs, prout latius in dictorum Prædeceſſorũ literis dicitur contineri. Ac demum cum recentioris mem. Gregorio Papæ XIII. ſimiliter Prædeceſſori noſtro expoſitum fuiſſet, quod de anno Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quinto, ſeu alio veriori tempore nonnulli Profeſſores dicti Ordinis cum licentia ſui Prioris Generalis tũc in partibus Hiſpaniarum exiſtentis aliquot Fratrum,& Monialium eiuſdem Ordinis Monaſteria, in quibus primitiua Regula præfata cũ omni obſeruantia, & rigore retineretur,in Hiſpaniarum Regnis, ſub obedientia tamen Prouincialis fundare,& ædificare cœperant,quodq; Regulã, & obſeruantiã huiuſmodi tàm fundatores præfati,quàm alij,qui ex Mitigatis pro tempore admittebantur,renunciando mitigationi,& relaxationi dicti Eugenij Prædeceſſoris, tranſacto probationis anno,denuo,ac etiã alij de ſeculo venientes profitebantur; ac numerus Religioſorum, qui Diſcalceati nuncupantur,primitiuam huiuſmodi Regulam profitentium,& obſeruantium, magnopere,vti tunc expreſſum fuit, excreuerat, quodq; iidem Religioſi Diſcalceati, vltra contenta in dicta Regula, de licẽtia ipſius Prioris Generalis,& cuiuſdam Vicarij per eũ in Prouincia Caſtellæ deputati, & cũ approbatione Viſitatorum Apoſtolicorum dictæ Religionis,quædam alia inſtituta ad carnis mortificationẽ, & populi ędificationem ab initio ſuæ inſtitutionis obſeruare incœperãt,veluti diſcalceatos incedere,indui ſacco, dormire ſuper tabulis, ad ſubleuandam ſuam inopiam manibus proprijs operari,multũ ſe in oratione exercere;

diuinumq; officium ſine cantu,& ſine modulatione recitare. Idem Gregorius Prædeceſſor Chariſſimi in Chriſto filij noſtri (tunc ſui) Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici, ac etiam eorundem Fratrum Diſcalceatorum precibus annuẽs, de cõſilio Venerabilium Fratrum noſtrorũ, tunc ſuorum, S.R.E. Cardinalium ſuper viſitatione Apoſtolica,conſultatione Epiſcoporum,ac Regularium reformatione deputatorum (de quorum numero nos quoque in minoribus conſtituti, & Cardinalatus honore fungentes tunc eramus) inſtitutum huiuſmodi, quod iuxta primitiuam Regulam ipſi Fratres profitebantur, laudando, & approbando, dictos Fratres, & Moniales primitiuam huiuſmodi Regulam in Regnis Hiſpaniarum obſeruantes(Diſcalceatos nuncupatos)eorumq; Domos, Conuentus,Monaſteria,& loca tunc,& pro tempore exiſtentia à Prouincijs Fratrum, & Monialium eiuſdem Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmeli Regulam per dictum Eugenium Prædeceſſorẽ mitigatã tunc,& pro tempore obſeruantium(qui Mitigati nũcupantur) penitus, & omnino in perpetuũ authoritate Apoſtolica ſeiũxit,ſeparauit, ac diſmembrauit,ipſoſq; Diſcalceatos ab omni,& quacunq; iuriſdictione,viſitatione,correctione,ſuperioritate,quæ Prioribus Prouincialibus,cæteriſq; Prælatis,& Superioribus Mitigatis in ipſos Diſcalceatos competebat,perpetuo exemit,& liberauit,ac eorundem Fratrum, & Monialium Diſcalceatorum Domos,Monaſteria,& loca quæcunq; eatenus erecta, & inſtituta,& ex tunc in futurum erigenda,& inſtituenda in vnam Prouinciam de per ſe(Diſcalceatorum nuncupãdam) per vnum Priorẽ Prouincialem, qui in Capitulo ipſius Prouinciæ ex eiſdem Diſcalceatis, vt præfertur,eligi deberet,regendam,& gubernandam in perpetuũ erexit, & inſtituit,ac ipſam Prouinciam Fratrum, & Monialium Diſcalceatorũ ſub obediẽtia, & ſuperioritate Prioris Generalis totius Ordinis ad inſtar aliarum Prouinciarum eiuſdem Ordinis perpetuo ſubiectam remanere, ſubeſſe & ſubiacere voluit. Qui Prior Generalis per ſe ipſum tantum, vel per alium virum idoneum ex ipſis Diſcalceatis, & iuxta eorum primitiuam Regulam,ac Regularia inſtituta ab ipſis Diſcalceatis obſeruari ſolita eos viſitare,reformare, corrigere,& punire poſſit, in Monaſterijs tamen, Domibus, & locis ipſorum Fratrũ Diſcalceatorũ, extra quæ nullatenus ipſi Diſcalceati, vel aliquis eorũ ab eodem Priore Generali quouis prætextu,vel occaſione amoueri, aſſignari,mutari, extrahi, ſeu transferri,aut ad alias Prouincias mitti,aut retineri poſſent,niſi aliter in eorum Capitulo Prouinciali fuiſſet ordinatum: ipſi verò dictæ Prouinciæ

Digitized by Google

ciæ Diſcalceatorum Fratres in præmiſſis perpetuo eidem Priori Generali parere, & obedire, & cum ipſum ad eorum Monaſteria, Domos, & Loca diuertere,aut pro viſitatione huiuſmodi,vel aliàs accedere contigiſſet,cum omni humilitate,& reuerentia benigne recipere,& pertractare tenerentur, & deberent: Priori vero Prouinciali eiuſdem Prouinciæ Fratrum Diſcalceatorũ ipſos Fratres,& Moniales Diſcalceatos, illorũq; Domos Monaſteria,& loca quæcunq; regendi,gubernandi,viſitandi,reformandi, corrigendi, puniendi,& caſtigandi,ac Capitulum Prouinciale ſuis loco,& tempore indicendi,conuocandi,congregandi,& celebrandi,quoſcunq; Officiales neceſſarios vna cum Capitularibus eligẽdi, ac quæcunq; ſtatuta,& ordinationes pro bono regimine ipſius Prouinciæ: & Dei ſeruitio in eodem Capitulo condendi, mutandi,alterandi,ac in totũ,ſi videbitur,abrogandi,ac etiam de nouo edendi, dummodo ſacris Canonibus, & Concilij Tridentini Decretis, ac Conſtitutionibus Apoſtolicis,eorumq; primitiuæ Regulæ,& Inſtitutis præfatis non aduerſarẽtur,& abuſus quoſcunq; tollendi, & emendandi; Monaſteria item Domos,& Conuẽtus tam virorum, quam mulierum eiuſdem Prouinciæ in quibuſuis locis cuiuſuis licentia deſuper nõ requiſita de conſenſu dicti eorum Capituli,& aliàs ſeruata forma eiuſdem Concilij,cõſtrui, & ædificari faciendi,ipſiq; Priori Prouinciali,poſtquam electus fuiſſet,officium ſuum exercendi abſque alia confirmatione (quam tamen à Priore Generali totius Ordinis mox petere teneretur) plenam,& liberam facultatẽ conceſſit: ac prohibuit perpetuo,ne Fratres, & Moniales Diſcalceati ad ſuum Fratrum Mitigatorum, vel alium Ordinem præter quam Carthuſianorum ſine Apoſtaſiæ nota tranſire poſſent,atque inhibendo ſub pęna excõmunicationis Priori Generali,Prouincialibus, & Cõmiſſarijs, alijſq; Pręlatis,Miniſtris,aut Officialibus,ne eoſdem Fratres,vel Moniales Diſcalceatos ſuper præmiſſis quoquo modo moleſtarent: ipſis etiam Diſcalceatis indulſit,ne eis vllo modo parere,aut deferre tenerẽtur,ſalua tamen in reliquis obedientia Pioris Generalis totius Ordinis,cui eos perpetuo ſubiectos eſſe,& ſubiacere voluit; aliaq; nonnulla eiſdem Diſcalceatis ſub certis modo, & forma tunc expreſſis conceſſit,& indulſit, cum de ſic iudicando,& irritanti, alijſq; decretis, & clauſulis præſeruatiuis,& derogationibus adiectis,certis etiam Iudicibus, ſiue etiam executoribus deputatis, prout in literis Gregorij Prædeceſſoris huiuſmodi ſub data die vigeſima ſecunda Iunij Anni Domini milleſimi quingenteſimi octogeſimi in forma Breuis expeditis latius cõtinetur. Ad quarũ

literarum

Digitized by Google

literarũ executioné cũ (ſicut ijdem Fratres Diſcalceati nobis exponi fecerunt) iã proceſſum fuerit,& vſus ipſe doceat in dies magis (iuuante Dño)ex illarum diſpoſitione plura Monaſteria ad honorẽ Diuini nominis,& eiuſdem Prouinciæ,atq; adeo totius Ord. ſalubrem directionem, ſtatumq; pacificũ, & tranquillũ redundare. Propterea nobis fuit humiliter ſupplicatum, vt hæc ipſa pro eorũ ſubſtantia validiori de nouo authoritate Apoſtolica roborare, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

2 Nos igitur dicti Philippi Regis, ac eorum Diſcalceatorum ſupplicationibus inclinati dictas Gregorij Prædeceſſoris literas,quarum tenorem præſentibus haberi volumus pro expreſſo, tã quoad præmiſſa, quã reliqua in eis contenta,ac proceſſus habitos per eaſdem, & inde ſecuta omnia, & quæcunq; authoritate Apoſtolica perpetuò approbamus, & confirmamus,illiſq;perpetuæ,inuiolabilis,& incõcuſſæ firmitatis,& approbationis Apoſtolicæ robur adijcimus, eaq; vniuerſa,& ſingula præſentis ſcripti patrocinio communimus,ac omnes,& quoſcunq; iuris, & facti vel ſolennitatem, aut alios defectus, etiam ſubſtantiales, ſi qui interuenerint in eiſdem,ſupplemus,,eaq; de nouo per præſentes, aliàs tamen iuxta formam, & tenorem præfatarum Gregorij Prædeceſſoris literarum concedimus,indulgemus,ſtatuimus,& ordinamus,ac per eos, ad quos ſpectat,firmiter,& inuiolate obſeruari in omnibus, & per omnia, præcipimus, & mandamus. Decernentes ex nunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquã quauis authoritate ſciẽter,vel ignoràter attẽtatum forſan eſt hactenus,vel in poſterum contigerit attentari.

3 Ac inſuper eorũdem Diſcalceatorum precibus in hoc quoque annuentes vniuerſis,& ſingulis Fratribus,ac Monialibus Diſcalceatis pręfatis tã profeſſis,& in ſacris etiã presbyteratus ordinibus cõſtitutis, quã alijs quibuſcunq; vt in eorũ Eccleſijs,Domibus,Monaſterijs,& locis, tã Choro,quã extra Chorũ horas Canonicas,Diurnas,& Nocturnas ſecũdũ vſũ,ritũ,& morẽ Rom. Eccl. iuxta formulã Breu. Rom. nouiſſimè ex Decreto dicti Trid.Conc.refor.& piæ me. Pij Papæ V. & Prædeceſſoris noſtri iuſſu editi publicè,& inſimul,ac etiã priuatim,& ſingillatim dicere,& recitare liberè,& licitè valeãt,itaut amplius ad dicẽdas Horas Canonicas ſecundum ritũ,& morem dicti Ord. B.Marię de Monte Carmeli minimè teneantur, & nihilominus pręcepto,& obligationi ſatisfaciãt.

4 Quodq; eiuſdem Diſcalceatis in Rom. Curia Procuratorem ſuæ Prouinciæ Diſcalceatorum ad tractãda eiuſdem Prouinciæ negocia ex numero ipſorum Diſcalceatorum deſtinare, & perpetuo habere liceat,

C autho-

authoritate præfata de ſpeciali gratia concedimus, & indulgemus.

Quocirca Venerabilibus Fratribus Toletano, & Hiſpalenſi Archiepiſcopis, & Epiſcopo Palentino, ac dilecto filio Cauſarum Cur. Cam. Apoſtolicæ Auditori Generali, ac vniuerſis, & ſingulis Patriarchis Archiepiſcopis, Epiſcopis, & alijs Eccleſiarum Prælatis, nec non quibuſcũque in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis per Apoſtolica ſcripta mãdamus, vt ipſe, vel plures, aut duo, vel vnus eorum per ſe, vel aliũ, ſeu alios præſentes, & pręfatas Gregorij Prædeceſſoris huiuſmodi literas, & in eis contẽta quæcunq; vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Diſcalceatorum, vel aliorum, quorum intererit, fuerint requiſiti, ſolenniter publicari, eiſdemq; Diſcalceatis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes faciant præmiſſa omnia, & ſingula iuxta præſentium, ac præfatarum Gregorij Prædeceſſoris literarum tenorem per eos, quos illa concernunt, & concernẽt quomodolibet in futurum, debitæ executioni demandari, & ad vnguem perpetuo, & firmiter obſeruari: non permittẽtes quemcunq; deſuper quoquomodo indebitè moleſtari, perturbari, aut inquietari: contradictores, & inobedientes, eiſq; auxilium, conſilium, vel fauorem, directè, vel indirectè, vel alias pręſtantes, cuiuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint, per cẽſuras, & pęnas Eccleſiaſticas, aliaq; opportuna iuris, & facti remedia (appellatione poſtpoſita) compeſcendo, legitimiſq; ſuper his habẽdis ſeruatis proceſſibus, cenſuras, & pœnas ipſas etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſęcularis. Non obſtantibus Conſtitutionibus Apoſtolicis, ac Concilijs etiam generalibus ęditis, dictiq; Ordinis, ac illius Prouinciarum iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eiſdem Mitigatis, vel Diſcalceatis, aut Vniuerſo Ordini, vel præfatis, aut alijs illorum Superioribus, cæteriſq; perſonis quomodolibet conceſſis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, illorum tenores pręſentibus pro expreſſis habentes, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, atq; omnibus ijs, quæ in dictis Gregorij Prædeceſſoris literis cõceſſa fuerint, non obſtare, cęteriſq; contrarijs quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris die vigeſima ſeptembris, milleſimo quingenteſimo octogeſimo ſexto, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Car-

Carmelitæ Diſcalceati non tenētur recipere Mitigatos, vel alterius Ord. nec à ſe ſemel eiectos, ipſi verò exire à propria Congregatione, vel ad aliam, niſi Carthuſian. tranſire ſine expreſſa licentia Rom. Pont. non poſſunt.

S V M M A R I V M.

1 *Fratres noſtri non tenentur recipere quenquam ex Mitigatis, aut alijs Ordinibus, nec aliquem ſæcularem non ſeruatis ſeruandis.*

2 *Fratres noſtri nō poſſunt exire à noſtra Congreg, ſine licentia Ro. Pon.*

3 *Pœna excōmunicationis imponitur Superioribus conferentibus habitum dicta forma non ſeruata, nec non geſtantibus dictum habitum, vel ei ſimilem extra Congregationem.*

4 *Facultas puniendi huiuſmodi habitum geſtantes, vel transfugas, aut apoſtatas.*

5 *Facultas puniendi Fratres nefarios, ſeu proprietarios.*

6 *Facultas olim per Clementem VII. & Pium V. Priori Generali totius Ordinis conceſſa contra publicos delinquentes, eadem, & plenior indulgetur Prouinciali Diſcalceatorum.*

7 *Interdicitur appellatio à ſententijs latis per prædictum Prouincialem contra dictos delinquentes.*

8 *Fratres noſtri non tenentur recipere quos ſemel eiecerunt.*

SIXTVS PAPA V. Ad perpetuam rei memoriam.

DEcet Romanum Pontificem æqui, boniq; ſupremum aſſertorem ad ea ex paſtoralis officij debito libenter intēdere, per quæ Sacratum Religionum ſtatus ſalubriter dirigatur, ac in ſua integritate, & puritate cōſeruetur, perſonæq; ſub earum iugo optimis diſciplinis addictæ in ſuarum inſtitutionum obſeruatione perſiſtant: ab illis verò deſciſcentes, opportuna animaduerſione adhibita, valeant coerceri. Cum itaq; ſicut accepimus, Fratres Congregationis Diſcalceatorum Ordinis Glorioſæ Virginis MARIAE de Monte Carmeli ſtrictiorem, & auſteriorem, quam alij

Fratres Mitigati nuncupati dicti Ordinis viuẽdi rationẽ introduxerint, ac Regulam, & obſeruantiam primi eiuſdem Ordinis inſtituti ſequantur, literarumq; ſtudijs, & verbi Dei prædicationibus, necnon diuerſis alijs ſpiritualibus, & fructuoſis miniſterijs etiã ad remotiſsimas Indiarũ partes, vbi ſaluandarum ſua opera Animarum copioſior prouentus ſperatur, frequenter tranſeundo, aſsidue incumbant, & plerumq; contingat, vt aliqui ex Mitigatis prædictis iuxta Regulas, & inſtituta Cõgregationis huiuſmodi minus idonei, nec approbati, ad ipſos Fratres Diſcalceatos, & vice verſa complures eorundem Fratrum Diſcalceatorum quadam animi leuitate ducti, ac quiete laboris (cui ob melioris vitæ frugem, & pro excolenda, & propaganda Chriſtiana Republica iuxta ſuam vocationem continuò expoſiti eſſe debent) ad Mitigatos, & alios aliorum Ordinum Fratres huiuſmodi ſe transferre, & ibidem recipi facere, ac deſuper licentias, ac facultates à Sede Apoſtolica, & ſeu illius Legatis ſub fucatis coloribus obtinere procurent: Nonnulli quoq; ex dictis Fratribus Diſcalceatis habitum per eos geſtari ſolitum, non ſeruata forma in Regulis, & Statutis prædictis præſcripta conferre: & multi pro Eremitis ſe gerentes, tum etiam alterius profeſſionis Religioſi, vt ei copioſius ſuccurratur, vel alias habitum præfatũ propria authoritate aſſumere, & interdum ſcandala habitu, quem præſeferunt, indigna committere præſumant, non ſine graui animarum ſuarum detrimẽto, dictæq; Congregationis præiudicio, & opprobrio.

1 Nos his, alijsq; incommodis, quibus Congregatio ipſa exinde affici conſueuit, prouiſionis noſtræ miniſterio occurrere cupientes, & de præmiſsis per Venerabiles fratres noſtros S. R. E. Cardinales ſuper Regularium reformatione, & viſitatione deputatos, quibus hoc negotium cognoſcendum, & cognitum nobis referendum commiſimus, plenè informati, Motu proprio, non ad Fratrum præfatorum, aut aliorum pro eis nobis deſuper oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine hac perpetuo valitura Cõſtitutione ſtatuimus, & ordinamus, quod Fratres Diſcalceati præfati, eorumq; Superiores neminem ex dictis Mitigatis, vel cuiuſuis alterius Ordinis, ſeu Religionis profeſſoribus, nec etiam vllum ſæcularẽ, cuiuſcunque gradus, & conditionis fuerit præter, & contra formam in Regulis, & Statutis dictæ Congregationis præſcriptam recipere, & admittere teneantur: nec habitum præfatum, forma huiuſmodi non ſeruata, cuiquam conferre, & exhibere vllatenus poſſint, nec ad id inuiti,

Digitized by Google

uiri,& prætextu quarunuis licentiarum, facultatum, diſpenſationum,& aliarum gratiarum à dicta Sede,& ſeu illius Nuncijs, vel Legatis, etiam de Latere, vel quibuſuis alijs quacũq; authoritate fungentibus quomodolibet obtentarũ,& proceſſuum deſuper formatorum, etiã quaſcunque ſententias, cẽſuras, & pœnas in ſe continentiũ cogi, aut cõpelli poſſint.

2 Sed nec vllus omnino ipſorum Fratrum Diſcalceatorum abſque ſpeciali pro tempore exiſtentis Romani Pontificis licentia de præſentibus, eorumq; data expreſſam, indiuiduam, & de verbo ad verbum mentionem faciente, ac ex legitima, & vrgenti cauſa prius à prædictis Cardinalibus pro tempore deputatis diligenter examinata, & approbata ad dictos Fratres Mitigatos, ſeu quemcunq; alium Ordinem, etiam Fratris Regulæ,& obſeruantiæ (Carthuſienſium dumtaxat excepto) tranſire, ſeu ad ſęculum redire, vel aliàs ab ipſa Congregatione ſe ſubtrahere, aut eam exire valeant: & ſi eorum quiſpiam ſecus fecerit, apoſtaſiæ, & perpetuæ infamiæ notam;

3 Necnon tam ipſi Superiores, & Fratres dictæ Congregationis, qui habitum Fratrum Diſcalceatorum huiuſmodi quibuſuis perſonis, non ſeruata forma prædicta, contulerint, necnon, & Eremitæ, & cæteri omnes, ſiue ſæculares, ſiue alterius Ordinis Fratres, ac etiam huius, qui extra Congregationem prædictam, illiusq; Superiorum curam, & obſeruantiam degentes Scapulario,& Cuculla, etiam ſine pallio (quo ipſi Fratres Diſcalceati itinerantes ſæpè non vtuntur) more eorundem Fratrum Diſcalceatorum vti, aut alias eorum habitum, vel illi ita conſimilem, vt propter eum Frater eiuſdem Congregationis credi poſſit, deferre, & geſtare præſumpſerint, ac etiam illi ex dictis Fratribus Diſcalceatis, qui licentiam ad alium Ordinem tranſeundi à Sede prædicta (vt præfertur) obtinuerint, & ea vti voluerint, niſi infra quindecim dies ex tunc immediatè ſequentes habitum, ſeu ſaltim pallium, & Scapulare huiuſmodi realiter dimiſerint, excommunicationis latæ ſententiæ pœnam eo ipſo incurrant, à qua per alium, quam Romanum Pontificem, vel dictæ Congregationis Priorem Prouincialem pro tempore exiſtentem, vel ab eo deputatum, excepto mortis articulo, ſi eos in illo decedere contingat, abſolui nequeant: & quæuis licentia deſuper etiam à dicta Sede alias, quam vt præfertur, obtenta, nulla,& ſubreptitia cenſeatur, nec cuiquam vllatenus ſuffragetur.

4 Et nihilominus Prior Prouincialis, & alij Superiores dictæ Congregationis, necnon locorum Ordinarij,& Eccleſiarum Prælati,& Rectores,

ctores, eorumq; Vicarij, & Officiales per ſe vel alium, ſeu alios habitum, & ſeu pallium, & ſcapulare huiuſmodi ab eis detrahere, & tam ipſos, quam omnes, & ſingulos dictę Congregationis apoſtatas, & transfugas, ac etiam eos, qui abſq; ſpeciali licentia Romani Pontificis modo, & forma præmiſſis obtinenda ab ipſa Congregatione defecerint, in quocunq; habitu reperiantur, excommunicatos declarare, & incarcerare, ac in illos ſeuerè animaduertere, auxiliūq; brachij ſæcularis (ſi opus fuerit) inuocare liberè, & licitè poſſint. Et quicunq; Ciuitatum, vel locorum Gubernatores, Rectores, Magiſtratus, eorumq; loca tenentes, executores, & iuſtitię miniſtri ſtatim, & abſq; alicuius Iudicis miniſterio eis, ſi deſuper ab ipſis Fratribus Diſcalceatis fuerint requiſiti, in præmiſſis aſſiſtere, & auxilium præſtare debeant, & teneantur.

5 Inſuper pro tempore exiſtenti Priori Prouinciali Congregationis huiuſmodi per ſe, vel alium, ſeu alios omnes, & ſingulos dictæ Congregationis Fratres, qui nefandum crimen cū infamia, aut aliud carnis peccatum cum notabili, & publico ſæcularium ſcandalo perpetrauerint, ac deſuper confeſſi, ſeu cōuicti fuerint, necnō proprietarios monitione præuia pœnis arbitrio ſuo infligendis, ac imponendis, afficiēdi, ac puniendi.

6 Ac contra ipſos iuxta facultates pro tempore exiſtenti Priori Generali dicti Ordinis B. Mariæ de Mōte Carmeli per fœl. rec. Clem. VII. ac Pium V. Prædeceſſores noſtros conceſſas, & literas deſuper cōfectas, quas (illarum tenores præſentibus pro expreſſis habentes) ad pro tempore exiſtentem Priorē Prouincialem Congregationis huiuſmodi harū ſerie extendimus, etiam ſummariè, ſine ſtrepitu, & figura iudicij procedendi, ac in illis contenta quæcunq; faciendi, & exercendi: nec non (ſi ipſorum Fratrum Diſcalceatorum demerita & delicta id expoſcāt) eos quibuſuis grauioribus eidem Priori Prouinciali beneuiſis pœnis puniēdi, & mulctandi plenam, liberam, & omnimodam poteſtatem, facultatem, & authoritatem elargimur.

7 Decernentes ab ipſius Prioris Prouincialis pro tempore exiſtentis ſententijs contra ſic confeſſos, ſeu conuictos ferendis nullatenus appellari, & recurſum ad quoſuis alios haberi poſſe.

8 Ipſoſq; Fratres Diſcalceatos ad ſemel eiectos, ſeu emiſſos in quibus eiecti fuerint, vel alijs dictæ Congregationis Domibus poſtea recipiendum minimè teneri: præſenteſq; literas nullo vnquam tempore ſub vllis ſimilium, vel diſſimilium gratiarū reuocationibus, alterationibus, limitationibus, derogationibus, aut alijs cōtrarijs diſpoſitionibus, à nobis,

bis, & à quibuſuis alijs Romanis Pontificibus, vel dicta Sede nunc, & pro tempore emanatis cõprehẽdi, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinũ, & eum, in quo ante præmiſſa erãt, ſtatũ reſtitutas, & de nouo etiam ſub poſteriori data per pro tempore exiſtentem Priorem Prouincialem Congregationis huiuſmodi eligenda conceſſas eſſe, & fore: ac ita, & non aliter per quoſcunque Iudices, tàm ordinaria, quam delegata, & mixta authoritate fungentes, etiam S.R.E. Cardinales, dictæq; Sedis Legatos, etiam de Latere, & Nuncios, ac cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate vbiq; & in quauis inſtãtia interpretari, iudicari, & diffiniri debere, irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Venerabilibus Fratribus vniuerſis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac dilectis filijs eorum Vicarijs in ſpiritualibus, aut Officialibus generalibus, & cauſarum Curiæ Cam. Apoſt. Generali Auditori, nec non Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Archidiaconis, Canonicis, Capitulis, ac alijs, ad quos quomodolibet ſpectat, & ſpectabit, per præſentes motu ſimili mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut vnus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcunq; vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte dictorum Fratrum Diſcalceatorũ, vel alicuius eorum fuerint requiſiti, ſolenniter publicantes, eiſq; ex præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes faciant authoritate noſtra præſentes literas, & in eis contenta huiuſmodi ab omnibus, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inuiolabiliter obſeruari, dictoſq; Fratres Diſcalceatos illis omnibus, & ſingulis pacificè frui, & gaudere: non permittẽtes eos deſuper per quoſcunq; quomodolibet indebite moleſtari: contradictores quoſlibet, & rebelles per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaq; opportuna iuris, & facti remedia (appellatione poſtpoſita) compeſcendo, legitimiſq; ſuper his habendis, ſeruatis, proceſſibus, ſententias, cenſuras, & pœnas ipſas etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc (ſi opus fuerit) auxilio brachij ſæcularis. Non obſtantibus præmiſſis, ac piæ mem. Bonifatij Papæ VIII. etiã Prædeceſſoris noſtri de vna, & Concilij Generali de duabus dietis, dummodo vltra tres dietas quis vigore præſentium ad iudicium non trahatur, alijſq; Apoſtolicis, ac in Prouincialibus, & Synodalibus Concilijs æditis ſpecialibus vel generalibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, necnõ

præ-

prædicti B. Mariæ de Mõte Carmeli,& quorũuis Ordinum,ac Religio-num,etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica,vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis,& conſuetudinibus, priuilegijs quoque,indultis, & literis Apoſtolicis illis,eorumq; Superioribus, & perſonis per quoſcunq; Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, ac nos,& dictam Sedem etiam motu,& ſcientia ſimilibus, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ſub quibuſcunque tenoribus,& formis,ac cum quibuſuis etiã derogatoriarum derogatorijs, alijsq; efficacioribus, & inſolitis clauſulis,nec non irritantibus,& alijs Decretis in genere,vel in ſpecie, ac aliàs quomodolibet etiam pluries conceſſis,confirmatis, & innouatis: Quibus omnibus,& ſingulis,etiam ſi in eis caueatur expreſsè,quòd illis nullatenus derogari poſſit, ac pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumq; totis tenoribus ſpecialis ſpecifica,& expreſſa mentio habenda, ſeu aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret,tenores huiuſmodi,ac ſi de verbo ad verbum,nihil penitus omiſſo,& forma in illis tradita obſeruata, inſerti fuerint, præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus: contrarijs quibuſcunque, aut ſi aliquibus communiter, vel diuiſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari nõ poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis,& ſigillo dictæ Congregationis,vel alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in iudicio,& extra adhibeatur, quæ ipſis originalibus literis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die vigeſima ſeptima Iunij milleſimi quingenteſimi octogeſimi ſeptimi: Pontificatus noſtri anno tertio.

Diuiſio

Digitized by Google

Diuiſio Prouinciarum, & Erectio vnius Congregationis Diſcalceatorum in Regnis Hiſpaniarum ſub vno Vicario Generali.

SVMMARIVM.

1 *Præcipit Summus Pontifex Priori Prouinciali Diſcalceatorum, vt iuxta* Priuilegium *Gregorij XIII. Capitulum conuocet, in eoq; Vicarius Generalis eligatur Congregationis de nouo erigendæ.*

2 *Dat facultatem conſtituendi plures* Prouincias, *& ex ijs vnam Congregationem perpetuò inſtituit, cui præficit Vicarium Generalem cũ eadem authoritate, quam habet* Prior *Generalis totius Ordinis.*

3 *Quomodo ſit facienda electio Priorum tàm localium, quàm Prouincialium, & Conſiliariorum in primo Generali Capitulo.*

4 *Quando Vicarius Generalis interuentu ſex Conſiliariorum vti debeat, & quæ poſſit per ſe agere.*

5 *Officium Vicarij Generalis, & aliorum quandiu duret.*

6 *Capitulum Generale tertio quoque anno celebrandum.*

7 *Quinam ad Capitulum accedere teneantur, & quæ in eo electiones faciendæ ſint.*

8 *Vicarius Generalis electus ſtatim poteſt ordinaria ſui officij exercere, grauiora autem non poteſt niſi poſtquam fuerit à* Priore *Generali* Ordinis *approbatus.*

9 *Capit. Prouinc. quando conuocari, et quæ in eo electiones fieri debeãt.*

10 *Mortuo* Priore Prouinciali *aut locali, vel aliàs officio vacante quid agendum, & quid pariter Vicario Gen. ante ſexenniũ vita functo.*

11 *Vicarij Gen. facultas in condendis legibus, et Monaſterijs erigendis.*

12 Priores Prouinciales *nouas Domos, vel Monaſteria recipere, & erigere nequeunt abſq; licentia Vicarij Generalis.*

13 *Quæ ſit, & quando incipiat authoritas* Priorum Prouincialium.

14 *Declaratur & limitatur ſuperioritas, quæ reſeruatur* Priori *Generali Ord. ſuper Congregationem, & Vicarium Gen. Diſcalceatorum.*

15 *Vicarius Generalis Diſcalceatorum cum duobus Socijs debet intereſſe Cap. Gen. totius Ord. cũ voce actiua, & paſſiua, & loco congruẽti.*

16 *Forma à* Priore *Generali Ord. in viſitatione Diſcalceatorũ ſeruanda.*

17 *Omnia* Priuilegia, *Diſcalceatorum* Prouinciæ *olim conceſſa, eorundem Congregationi nuper erectæ competere declaratur.*

D SIXTVS

SIXTVS PAPA V. Ad perpetuam rei memoriam.

CVm de ſtatu, ac bono regimine Religioſorum paternam gerimus ſollicitudinem, tum eorum ſalubris directio nobis præcipuæ curæ eſt, qui ſanctiora, & priſcis Sanctorum Patrum regulis prorſus ſimilia vitæ inſtituta ſectantes, arctiorem diſciplinæ obſeruantiam profitentur; eosq; libenter in ſuo laudabili propoſito confirmamus, vt ſine vllo impedimento perſeuerent, atque indies magis proficiant.

1 Aliàs ſiquidem fœl. record. Gregorius Papa XIII. Prædeceſſor noſter intelligens, complures domos, ſeu Monaſteria Ordinis Fratrum, & Monialium Beatæ Mariæ de Monte Carmeli in Hiſpaniarum Regnis exiſtere, in quibus vigebat obſeruantia Primitiua eiuſdem Ordinis Regulæ cum omni rigore iuxta primæua inſtituta de mandato piæ memoriæ Innocentij Papæ Quarti etiam Prædeceſſoris noſtri confirmatæ, non autem ſecundum mitigationem, quæ à rec. mem. Eugenio Papa Quarto noſtro Prædeceſſore, dicitur impetrata, chariſsimi in Chriſto filij noſtri (tunc ſui) Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici precibus inclinatus, inſtitutum huiuſmodi ſuper obſeruantia Primitiuæ Regulæ approbando, ipſos Fratres, & Moniales eandem Primitiuam Regulam ſic obſeruantes (Diſcalceatos nuncupatos) eorumq; domos, Conuentus, Monaſteria, & loca tunc, & pro tempore exiſtentia à priuilegijs Fratrum, & Monialium eiuſdem Ordinis ſecundum Regulam per dictum Eugenium Prædeceſſorem (vt præfertur) mitigatam pro tempore degentium penitus, & omnino in perpetuum authoritate Apoſtolica ſeiunxit, & ſeparauit, ipſos Diſcalceatos ab omni, & quacunque viſitatione, correctione, & ſuperioritate Priorum Prouincialium, cæterorumq; Superiorum, ſecundum mitigatam Regulam degentium exemit, & liberauit, ac eorundem Fratrum, & Moniali ũ Diſcalceatorum domos, Monaſteria, & loca quæcunque eatenus erecta, & inſtituta, ac ex tunc in futurum erigenda, & inſtituenda in vnam Prouinciam de per ſe, Diſcalceatorum nuncupandam, per vnum Priorẽ Prouincialem, qui in Capitulo ipſius Prouinciæ ex eiſdem Diſcalceatis (vt præfertur) eligi deberet, regendam, & gubernandam in perpetuum erexit, & inſtituit, ac ipſam Prouinciam Fratrum, & Monialium Diſcalceatorum ſub obedientia, & ſuperioritate Prioris Generalis totius Ordinis ad inſtar aliarum Prouinciarum eiuſdem Ordinis perpetuo ſubiectam remanere, ſubeſſe, & ſubiacere voluit. Cui Prior Generalis per ſeipſum tantum, vel

per

per alium virum idoneum ex ipſis Diſcalceatis, & iuxta eorum Primitiuam Regulam, ac Regularia inſtituta ab ipſis Diſcalceatis obſeruari ſolita eos viſitare, reformare, corrigere, & punire poſſet, in Monaſterijs tamen, domibus, & locis eorũdem Fratrũ Diſcalceatorum, extra quæ nullatenus ipſi Diſcalceati, vel aliquis eorum ab eodem Priore Generali quouis prætextu, vel occaſione amoueri, aſsignari, mutari, extrahi, ſeu transferri, aut ad alias Prouincias mitti, aut retineri poſſent, niſi aliter in eodem Capitulo Prouinciali fuiſſet ordinatum, prout in ipſius Gregorij Prædeceſſoris literis (quæ iampridem debitæ executioni demandatæ, vſu receptæ, & per nos nuper approbatæ fuerunt) plenius continetur. Cum autem (ſicut nuper audiuimus) numerus Fratrum huiuſmodi, & Monialiũ Diſcalceatorum non mediocriter auctus fuerit, & in dies maiora (benedicente Domino) ſuſcipiat incrementa Diuini cultus augumento, bonæ famæ odore, ac ſpirituali fructu, & conſolatione animarum tum ipſorum Religioſorum, tum etiam aliorum Chriſtifidelium, qui pijs eorum exemplis in viam ſalutis diriguntur: iamq; non modo per vniuerſam fere Hiſpaniam, ſed etiam in Indijs complura Monaſteria, & domos, aliaq; Regularia loca Diſcalceatorum, inſtituta, & erecta fuerint, quæ omnia per vnum Priorem Prouincialem non ita commode regi, & gubernari queunt.

1 Propterea eiuſdem Philippi Regis nomine, ac pro parte etiam eorundem Fratrum Diſcalceatorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus in pręmiſsis opportune prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur volentes pro debito Paſtoralis officij eorundem Religioſorum pio deſiderio, bono regimini, ac propagationi (vt par eſt) conſulere, habita ſuper hoc cum venerabilibus fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus ſuper negotijs Regularium deputatis matura deliberatione, huiuſmodi precibus in hac parte annuentes, necnon vniuerſos, & ſingulos Fratres, & Moniales dictæ Prouinciæ Diſcalceatorũ à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijsq; Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis (ſiquibus quomodolibet innodati exiſtunt) ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes, dilecto filio moderno Priori Prouinciali dictæ Prouinciæ Fratrum Diſcalceatorum Ordinis præfati per præſentes committimus, & mandamus, vt Capitulum Prouinciale iuxta facultatem per ipſas Gregorij Prædeceſſoris literas ſibi attributam, & ſecundum morem eiuſdem Prouinciæ ſuis, loco, & tempore indicat, conuocet, & congregari faciat, in eoq; Capitulo poſt-

quam erit legitime congregatum, volumus, vt primum quidem per ſuffragia, ſeu vota eorum, qui in electione Prioris Prouincialis in huiuſmodi Capitulo Prouinciali vocem habere hactenus conſueuerunt, poſt Diffinitorum electionem (vt fieri ſolet) ſtatim vnus Vicarius Generalis de nouo erigendæ Congregationis Fratrum Diſcalceatorum eligatur.

2 Si electus Vicarius præſens in Capitulo erit, ſtatim ipſi Capitulo præſideat. Si abſens, idem, qui nunc eſt Prior Prouincialis, illius vices gerat, & in Capitulo prædicto præſideat, ac de voto eorundem Prouinciam ipſam, quæ hactenus fuit Diſcalceatorum, prout domorum, & Monaſteriorum numerus, ac locorum opportunitas ſuadebit, & aliàs videbitur expedire, in plures partes, & regiones diſtingui curet: quas quidem ſingulas partes ſic diſtinctas, & diuiſas, necnon eas, quas ſimiliter in futurum iuxta augmentum, & numerum domorum, & Monaſteriorum idem Vicarius in Capitulo eiuſdem Congregationis duxerit diſtinguendas, ac diuidendas in ſingulas Prouincias. Vniuerſas vero Prouincias in vnam Congregationem omnium huiuſmodi Prouinciarum Diſcalceatorũ nuncupandam authoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuo erigimus, & inſtituimus. Præterea ſtatuimus, & ordinamus, vt ſingulis huiuſmodi Prouincijs ſinguli Priores Prouinciales præſint. Dictus vero Vicarius Generalis & ipſis Prioribus Prouincialibus, & toti Congregationi præficiatur, eamq; regat, & gubernet, illamq; eandem prorſus authoritatem, & poteſtatem in Monaſteria, domos, loca, & perſonas dictæ Congregationis iam recepta, & recipienda (dummodo Primitiuæ Regulæ, ac eiuſdem Congregationis Regulari obſeruantiæ contrauenire non poſſit) habeat; quam Prior Generalis totius Ordinis tam de iure, & conſuetudine, quàm per priuilegia ſuper domibus, Monaſterijs, locis, & perſonis ſibi ſubiectis habere dignoſcitur.

3 Et in hoc primo Capitulo hac prima vice poſt factam electionem Vicarij Generalis, & diſtinctionem nouarum Prouinciarum per ſuffragia, ſeu vota eorundem, qui in electionibus Prioris Prouincialis hactenus vocem habuerunt, ſinguli Priores Prouinciales nouarum huiuſmodi Prouinciarum, deinde ſinguli Priores cuiuſque domus, ſeu Monaſterij dictæ Congregationis, demum ſex Conſiliarij ipſius Vicarij Generalis ex omnibus Prouincijs eligantur.

4 Ipſe autem Vicarius Generalis conſilio, & interuentu huiuſmodi Conſiliariorum vtatur tum in controuerſijs, & negotijs Congregationis vniuerſæ, & ſingulorum Fratrum expediendis, tum in Prouinciarum, &

ſingu-

Digitized by Google

ſingulorum Monaſteriorum, ac domorum reformatione, ac Regulari obſeruantia dirigenda: ita tamen, vt etiam abſque illis quæ ad reformationem ſtrictioremq; obſeruantiam pertinere videbuntur exequutioni demandare, delinquentes (præſertim publicos, & ſcandaloſos) punire per ſe, vel per alium libere poſsit.

5 Officium, & poteſtas Vicarij Generalis huiuſmodi per ſex annos duret; quibus finitis eo ipſo illius poteſtas, & authoritas expiret, & nouus Vicarius Generalis eligatur: eadem vero perſona (niſi intermiſſo altero ſexennio) iterum in Vicarium Generalem eligi, & vltra ſexennium ipſum officiũ continuare nõ poſsit, quod ſi ſecus factũ ſit electio nulla & irrita cenſeatur. Priores vero Prouinciales, Conſiliarij, & ſingularum domorum, ac Monaſteriorum Priores, & Collegiorum Rectores triennales ſint, eorumq; authoritas finito triennio ſimiliter expiret.

6 Capitulum Generale (Congregationis Diſcalceatorum nũcupandum) tertio quoque anno celebretur, illudq; in ſingula triennia indicendi, & conuocandi Vicarius Generalis curam habeat, qui etiam in illo præſideat.

7 Ad ipſum Capitulum Generale dictæ Congregationis præter Vicarium Generalem cuncti, & ſinguli Priores Prouinciales cum ſingulis Socijs, Diffinitoribus etiam Capituli electis, & ſex itidem Conſiliarij accedere teneantur. Atque in eodem Capitulo Generali ſingulis triennijs noui Priores tam Prouinciales, quàm ſingularum domorum, & Monaſteriorum, noui etiam Conſiliarij, ac etiam Diffinitores eligantur alternis triennijs, & ſic ſexto quoque anno in Capitulo Generali per vota eorundem Vicarij Generalis, necnon Priorum Prouincialium, Sociorum, Diffinitorum, & Conſiliariorum, primum quidem noui Vicarij Generalis, deinde vero cæterorum huiuſmodi Superiorum electiones celebrentur.

8 Idemq; Vicarius Generalis ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus, cum primum à plurimis, qui vocem in Capitulo Generali Congregationis habere debent, ſeu eorum maiori parte in Vicarium Generalem (vt præfertur) electus extiterit, eo ipſo ordinaria ſui officij exercere tantummodo poſsit: grauiora vero, vel atrociora nonniſi poſtquã à Priore Generali approbatus, & confirmatus fuerit, gerere, aut exequi valeat.

9 Dimiſſo Generali Capitulo, infra decimum octauum menſem quiſque Prior Prouincialis ſuæ Prouinciæ Capitulum conuocari curet, atque inibi Socius Prioris Prouincialis ad Generale Capitulum Congregationis cum eo iturus, & Diffinitores eius Prouinciæ eligantur.

10 Si

Digitized by Google

10 Si ante finitum gerendi officij tempus Priorem aliquem Prouincialem, aut cuiuſuis domus, vel Monaſterij ab humanis diſcedere, aut alias quomodolibet officium ipſum dimittere, vel amittere contingat, Vicarius Generalis, cum primum eius rei notitiam habuerit, de voto dictorum Conſiliariorum, & Capituli Generalis præfati Diffinitorum alium in eius locum ſufficiat, & ſubroget, cuius poteſtas, & authoritas vſque ad Capitulum Generale proximè celebrandum duret. Si vero ipſe Vicarius Generalis ante finitum ſexennium, & antequam Generale Capitulum ſit congregatum, è vita migrauerit, tunc primus Diffinitor Capituli præcedentis, aut ſecundus, & ſic ſucceſsiuè de reliquis Diffinitoribus in defectum præcedentium toti Congregationi præſideat, qui interim quouſque Capitulum Generale celebretur, & in eo nouus Vicarius Generalis eligatur, Generalis Vicarij locum, & poteſtatem habeat. Et ſi tempus celebrando Capitulo Generali (vt dictum eſt) præfixum vltra biennium expectandum eſſet, curet etiam ante tempus præfixum (cum primum id commode fieri poterit) Capitulum Generale indici, & conuocari, & in eo nouum Vicarium pro ſexennio ſequenti eligi.

11 Inſuper eidem Vicario Generali pro tempore futuro tam in hoc primo, quam quocunque alio dictæ Congregationis pro tempore celebrando Capitulo Generali ſtatuta quæcunque & ordinationes ad honorem, ſalubrem reformationem, & bonum regimen dictæ Congregationis pertinentia condendi, mutandi, alterandi, in totum (ſi videbitur) abrogandi, de nouo condendi, dummodo ſacris Canonibus, Concilij Tridentini Decretis, ac Conſtitutionibus Apoſtolicis, necnon Primitiuæ Regulæ, ac eorum inſtitutis non aduerſentur: abuſus quoſcunque tollendi, eaq; ab omnibus, & quibuſcunque etiam Prioribus Prouincialibus, aut alijs Officialibus, Prælatis, & Superioribus, cæteriſq; perſonis dictæ Congregationis perpetuo, & inuiolabiliter obſeruari præcipiendi. Monaſteria, domos, & Conuentus tam virorum, quàm mulierum eiuſdem Congregationis in quibuſuis locis, cuiuſlibet licentia deſuper minime requiſita (etiam ſine conſenſu Generalis Capituli totius Ordinis) erigendi, ſeu conſtrui & ædificari faciendi, aut iam conſtructa ad inhabitandū recipiendi, ſuaſq; vices pro quibuſcūque rebus ſibi beneuiſis, & ad ſuum officium pertinentibus alij, vel alijs Fratribus Diſcalceatis prædictis demandandi.

12 Ita tamen, vt Priores Prouinciales, & alij Fratres ſine expreſſa licentia Vicarij Generalis nouas domos, aut Monaſteria recipere, erigere, aut conſtruere minime audeant.

Dictis

Digitized by Google

13 Dictis quoq; Prioribus Prouincialibus ſimiliter ſtatuta tã in ſuo Capitulo Prouinciali pro tota Prouincia, quàm in viſitatione ſingulorũ Monaſteriorum, & Domorũ pro Fratribus, ſeu Monialibus eius Domus, vel Monaſterij durãte ipſo Prioris Prouincialis officio obſeruãda, dummodo Generalis Capituli totius Cõgregationis ſtatutis non repugnẽt, condendi: ac denique de cætero ipſis Prioribus Prouincialibus, poſtquã electi fuerint, & à Vicario Generali cõfirmati, ſtatim officia ſua, quęque ad illa quomodolibet pertinent, gerendi, exercendi, exequendi etiam quo ad ea vniuerſa, & ſingula, quæ Prouinciales Priores totius Ordinis prædicti mitigatam Regulam profitentes reſpectiuè in ſuos ſubditos de iure, conſuetudine, vel priuilegio facere poſſunt, ſeu debent, dummodo Primitiuæ Regulæ, & dictæ Congregationis ſtatutis non repugnent, ac niſi eorum Prouincialium Priorum ab ipſo Vicario Generali fuerit limitata poteſtas, & iuxta tenorem pręſentium literarum dumtaxat plenam, liberam, & abſolutam facultatem authoritate, & tenore præmiſſis concedimus, & impartimur.

14 Cæterum volumus, vt tàm prædicta Congregatio, quàm præfatus Vicarius Generalis ipſi Priori Generali, tanquam vniuerſali & ſuperiori Capiti totius Ordinis (iuxta tamen formã in his literis deſcriptam) ſubiaceant. Qui Prior Generalis totius Ordinis prædicti Domos, & Monaſteria dictę Congregationis Diſcalceatorum, eorumq; Conuẽtus, & ſingulares perſonas ſolus per ſe ipſum perſonaliter, & aſſociatus duobus Socijs, & vno Scriba, ſeu Secretario ab ipſa Congregatione Diſcalceatorũ eligendis, & iuxta eiuſdem Cõgregationis primitiua, & nouiſſima ſtatuta, nec aliàs viſitare, corrigere, reformare, & delinquentes punire poſſit, idq; de cõſilio prædictorũ Sociorum, & intra Monaſteria, domos, & loca ipſorum Diſcalceatorũ dumtaxat: extra quæ nullatenus ipſi Diſcalceati, eorumvè aliquis ab eodem Priore Generali totius Ordinis amoueri, vel alio transferri, neque quiſquam illorum loco mutari, aut poni, neque Priores, aut alij Officiales earundem domorũ, Monaſteriorũ, & locorum Congregationis Diſcalceatorum pro tempore eis præſidẽtes à ſuis officijs amoueri, neque alij eorum loco ſubſiſti, niſi ob enormem exceſſum, qui iuſtè tolerari nequiret, & tunc in defectum Vicarij Generalis ipſius Congregationis, & de conſenſu dictorum Sociorum, nec aliàs vllo modo valeãt. Prohibemus quoq; ne idem Prior Generalis aliquas gratias particulares Fratribus Diſcalceatis concedat, neuè per impoſitiones, aut taxas eorũ domos, & Monaſteria aggrauet,

quæ

Digitized by Google

quæ quidem impoſitiones, & conceſsiones nullæ ſint eo ipſo: neue quicquam penitus ex ipſa viſitatione præter neceſſarium viaticum habita ratione tenuitatis Domorum,& Monaſteriorum Diſcalceatorum moderandum, & in itinere pro viſitatione dictæ Congregationis Diſcalceatorum conſumendum recipiat, aut exigat.

15 Vicarius autem prædictus cum duobus Socijs eligendis in Capitulo Congregationis, Capitulo Generali totius Ordinis intereſſe, ibiq; vocem tam actiuam, quàm paſsiuam, & locum ſibi congruentem tam Vicarius, quàm Socij vocati habere teneantur.

16 Prior autem Generalis prædictus quoad viſitanda Monaſteria, domos, & loca Diſcalceatorum ſtatutis, & priuilegijs eiuſdem Congregationis in omnibus, & per omnia ſe conformet, nihilq; contra illa innouare, aut alterare præſumat, prædictæq; Congregationis Diſcalceatorum (vt præfertur) Monaſteria, domos, loca, & perſonas viſitare valeat, & antequam viſitationem incipiat hoc ipſum in Capitulo Generali dictæ Congregationis Diſcalceatorum intimare, & denunciare teneatur ad effectum, vt ibi prædicti Socij viſitationis (vti ſuperius diſpoſitum eſt) deputentur.

17 Et tandē prædicto Vicario Generali, ac Congregationi huiuſmodi reſpectiue quæcunque priuilegia, indulta, & facultates Prouinciæ, ac Priori Prouinciali dictæ Prouinciæ Diſcalceatorum à nobis, vel alijs Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris conceſſa fuerunt, competere ſtatuimus, & declaramus. Decernentes, præſentes literas nullo vnquam tempore ſub vllis ſimilium, vel diſsimilium gratiarum reuocationibus, alterationibus, limitationibus, derogationibus, aut alijs contrarijs diſpoſitionibus à nobis, & quibuſuis alijs Romanis Pontificibus, vel dicta Sede nunc, & pro tempore emanatis comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & in eum, quo ante præmiſſa erant, ſtatum reſtitutas, & de nouo etiam ſub poſteriori data per pro tempore exiſtentē Vicarium Generalē Congregationis huiuſmodi eligenda conceſſas eſſe, & fore. Ac ita, & non aliter per quoſcunque Iudices tam ordinaria, quàm delegata, & mixta authoritate fungentes, & S. R. E. Cardinales, dictæq; Sedis Legatos, etiā de latere, & Nuncios, ac cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, vbique & in quauis inſtātia interpretari, iudicari, & definiri debere: irritum quoque & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis authoritate ſcienter,

vel

vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Venerabilibus Fratribus vniuerſis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac dilectis filijs eorum Vicarijs in ſpiritualibus, aut Officialibus generalibus, & cauſarũ Curiæ Cameræ Apoſtolicæ Generali Auditori, necnon Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Archidiaconis, Canonicis, Capitulis, ac alijs, ad quos quomodolibet ſpectat, & ſpectabit, per præſentes authoritate Apoſtolica mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut vnus eorum per ſe, vel aliũ, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcunque, vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte dictorum Fratrum Diſcalceatorum, vel alicuius eorum fuerint requiſiti, ſolenniter publicantes, eiſq; in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſsiſtentes, faciant authoritate noſtra præſentes literas, & in eis contenta huiuſmodi ab omnibus, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inuiolabiliter obſeruari, dictoſq; Fratres Diſcalceatos illis omnibus, & ſingulis pacifice frui, & gaudere, Non permittentes eos deſuper per quoſcunque quomodolibet indebitè moleſtari, contradictores quoſlibet, & rebelles per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaq; opportuna iuris, & facti remedia (appellatione poſtpoſita) compeſcendo, legitimiſq; ſuper his habendis ſeruatis proceſsibus ſententias, cenſuras, & pœnas ipſas etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc (ſi opus fuerit) auxilio brachij ſæcularis. Non obſtantibus præmiſsis, ac piæ memoriæ Bonifacij Papæ Octaui, etiã Prædeceſſoris noſtri de vna, & Concilij Generalis de duabus dietis, dummodo vltra tres dietas quis vigore præſentiũ ad Iudicium non trahatur, necnon etiam eiuſdem Bonifacij Octaui Prædeceſſoris præfati prohibitione, qua prohibetur, ne Fratres dicti Ordinis in aliqua Ciuitate, Caſtro, Villa, aut alio quocunque loco, domos, ſiue loca de nouo accipere, aut capta mutare præſumant abſque dictæ Sedis ſpeciali licentia faciente plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de prohibitione huiuſmodi mentionem, alijſq; Apoſtolicis, ac in Prouincialibus, & Synodalibus Concilijs editis ſpecialibus, vel generalibus cõſtitutionibus, & ordinationibus, necnon prædicti Beatæ Mariæ de Monte Carmeli, & quorumuis Ordinum ac Religionum etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, illis, eorumq; Superioribus, & perſonis per quoſcunque Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, ac nos, & dictam Sedem etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſ-

uis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsq; efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & alijs Decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliàs quomodolibet etiam pluries conceſsis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi in eis caueatur expreſſe, quod illis nullatenus derogari poſsit, ac pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumq; totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa mentio habenda, ſeu aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenores huiuſmodi, acſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata, inſerti forent præſentibus, pro expreſsis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, contrarijs quibuſcunque, aut ſi aliquibus communiter, vel diuiſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſsint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo dictæ Congregationis, vel alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in Iudicio, & extra adhibeatur, quæ ipſis originalibus literis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris die decima Iulij 1587. Pontificatus noſtri anno tertio.

Variæ Indulgentiæ conceſſæ præſertim inuocantibus Sanctiſsima nomina IESV, & MARIÆ.

S V M M A R I V M.

1 *Confirmat conſuetudinem celebrandi Miſſam de Sanctiſſimo Sacramento ſingulis quintis ferijs non impeditis.*

2 *Præſentibus Miſſæ, Prædicationi, vel Lectioni verbi Dei, ad orandum acce-*

accedentibus, confeſſis, & Sacra Euchariſtia refectis in dictis diebus, varias Indulgentias concedit.

3 *Item ſalutantibus per verba, laudetur IESVS Chriſtus, & reſpondentibus in ſæcula, vel amen, aut ſemper, et reuerēter nomen IESV, vel MARIAE inuocantibus. In articulo verò mortis inuocantibus idem nomen IESV plena omniū peccatorū remiſſio indulgetur.*

4 *Item recitantibus Litanias nominis IESV, vel Beatæ Mariæ, & exhortantibus alios ad prædictæ ſalutationis formam.*

5 *Decernitur præſentes literas nullo tempore poſſe reuocari.*

SIXTVS PAPA V. Ad perpetuam rei memoriam.

Reddituri de commiſſo nobis grege Dominico in extremo Iudicio rationem, ſummis, vt tenemur, affectibus ſingulos Chriſtifideles, quos hoſtis humani generis à Iuſtitiæ limitibus ſæpe diuertit, noſtro pijſsimo Redemptori ab omni labe mundatos reſtituere, eosq́; ſibi acceptabiles, & bonorum operum efficere cupimus ſectatores, vt per grata, & accepta Deo opera illius, qui miſericordiarum Pater eſt, gratiam, & miſericordiam valeant facilius reperire, & nos in ipſa ratione reddenda Diuinæ Iuſtitiæ poſsimus euadere vltionem.

1 Cum itaque ſicut accepimus, dilecti filij Fratres Ordinis glorioſiſsimæ Dei genitricis, ſemperq́; Virginis MARIAE de Monte Carmeli, Congregationis Diſcalceatorum mentes Chriſtifidelium in his, quæ ad fidem, & ſanctiſsimorum ſacramentorum vſum, & frequentiam ſpectant, præſertim degentium in partibus vicinis hæreticorum confirmare, & conſolidare, ac ſingulis quintis ferijs feſto nouem lectionum vacantibus, Miſſam de Sanctiſs. Euchariſtiæ Sacramento, vel de feſto, aut feria celebrare ſolent. Nos hanc cœptam laudabilem, & ſalutiferam conſuetudinē Apoſtolicą authoritate tenore præſentium approbantes, & confirmantes, monemus, & hortamur in Domino Fratres Diſcalceatos prędictos, vt vbique præſertim in partibus vicinis dictorum hæreticorum, & in Indijs eandem conſuetudinem proſequentes, ſuis prædicationibus populos ad fidem, deuotionem, & frequentem vſum huius ſacroſancti Sacramenti allicere, & inuitare diligenter curent.

2 Vt autem Fratres prædicti libentius præmiſſa peragant, & Chriſtifideles illis interſint, quo ex hoc dono cæleſtis gratiæ conſpexerint,

ſe vberius eſſe refectos, de omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius authoritate confiſi, Fratribus Diſcalceatis, & Chriſtifidelibus prædictis, qui in illorum Eccleſijs, & præfatis quintis ferijs Miſſæ, centum, qui vero prædicationi, aut lectioni verbi Dei interfuerint, alios centum, nec non qui ad orandum acceſſerint interim, quinquaginta dies; qui denique confeſsi eo die ibi communicauerint, tres annos, & totidem quadragenas de eis iniunctis, ſeu alias quomodolibet debitis pœnitentijs miſericorditer in Domino relaxamus.

3 Et quia non eſt aliud nomen ſub Cælo, in quo nos oportet ſaluos fieri, niſi nomen IESV, idcirco omnibus, & ſingulis Chriſtifidelibus, qui hoc modo ſalutauerint alios, nempe ſuo vulgari, ſeu latino ſermone; laudetur IESVS CHRISTVS, & his, qui ſic reſponderint; in ſæcula, vel Amen, aut ſemper; vtriſque tam ſalutantibus, quàm reſpondentibus, quinquaginta, vbicumque id factum fuerit; qui autem Nomen IESV ore nominauerint reuerenter, vel Nomen MARIAE, vigintiquinque dies; qui vero in mortis articulo ore, vel corde (ſi ore non potuerint) idem Nomen inuocauerint, dummodo ante habuerint conſuetudinem ſic ſalutandi, vel nominandi idem Nomen IESV, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſsionem.

4 Quique litanias eiuſdem Sanctiſsimi Nominis recitauerint, trecentos; qui litanias eiuſdem Beatiſsimæ Virginis MARIAE, ducentos: Necnon prædicatoribus verbi Dei, qui inter prædicandum ad hunc modum ſalutandi, inuocandi, vel recitandi, ſeu nominandi Nomen IESV, & MARIAE auditores monuerint; & quicunque hanc ſalutationis formam vſui eſſe curauerint, eaſdem Indulgentias, ac peccatorum remiſſiones conſequantur, authoritate, & tenore præmiſsis cōcedimus, & elargimur. Volumus autem, vt prædictæ litaniæ Nominis IESV, & Beatæ MARIAE iuxta morem, & conſuetudinem in Romana Curia, & Domo Beatæ MARIAE Virginis vſitatum recitentur. Quod indultum extendatur etiam ad Indos, vbi eadem eſt neceſsitas.

5 Decernentes præſentes literas nullo vnquam tēpore per quaſcunque alias literas Apoſtolicas reuocari, ſuſpendi, aut limitari, ſeu illis derogari poſſe. Et ſi illis aliquando derogari, aut ſuſpendi, vel reuocari, aut limitari contigerit in genere, vel in ſpecie, ſtatim in priſtinum, & eum, in quo ante præmiſſa erant, ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenariè reintegratas eſſe, & cenſeri debere, reuocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus,

nibus, derogationibus, aut alijs in contrarium facientibus quibuſcunque non obſtantibus. Cæterum, quia difficile foret præſentes literas ad ſingula quæque loca deferri, volumus, & ſimiliter dicta authoritate decernimus, quod præſentiũ tranſumptis etiam impreſsis, & manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo dicti Ordinis, ſeu alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides tam in Iudicio, quàm extra illud adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris die vndecima Iulij, milleſimo quingenteſimo octogeſimo ſeptimo, Pontificatus noſtri anno tertio.

Prohibitio Reelectionis Priorum Prouincialium, & abſoluta translatio curæ Monialium in ſuos Prouinciales.

SVMMARIVM.

1 *Prouinciales ad eandem Prouinciam, vel aliam (niſi intermiſſo triennio) in Capitulo Generali reeligendi non ſunt.*

2 *Prouinciales ſuæ Prouinciæ Fratres, & Moniales regere, eorumq; culpas omnes (excepta grauiſſima) punire poſſunt, quauis contraria conſtitutione ſemota.*

3 *Omnia Congregationis negocia proceſſum requirentia Vicario Generali, ac Diffinitoribus cum voto deciſiuo maioris partis remittuntur.*

4 *Prior Localis vſq; ad grauem culpam incluſiuè cognoſcit.*

5 *Commiſſarius Generalis Monialium penitus abrogatur, & Moniales à ſuis Prouincialibus viſitari præcipitur.*

6 *De Reelectione Prioriſſæ idem ſtatuitur, quod de Priore Prouinciali, & vni-*

& vnicuiq; Monaſterio decernitur certus Monialiũ numerus.
7 *Moniales tenentur ad inſtar Fratrum diuinum Officium recitare.*
8 *Prior Prouincialis debet ſuæ Prouinciæ Monialibus de ordinarijs Confeſſoribus prouidere ſublata penitus facultate, quæ aliàs fuerat Prioriſſis conceſſa.*
9 *Refert Summus Pont. quaſdam Conſtit. Monialium, quas moderatur.*
10 *Moniales ad fundationes exire de licentia Vicarij Generalis, ac Diffinitorum, & ad priſtina Monaſteria redire poſſe conſtituit.*
11 *Prioriſſa vltrà 14. Moniales recipiens priuatur quidem officio, ſed receptio valet*
12 *Moniales nihil omnino proprij, nec ad vſum poſſideant.*
13 *Conſtitutiones Monialium, & Superiorum præcepta nec ad mortale, nec ad veniale peccatum obligant præter caſus expreſſos.*
14 *Quilibet prohibetur Moniales prædictas regere, vel in ipſarum, aut Fratrum Diſcalceatorum negocia ſe intromittere, & ſoli Capitulo, aut Vicario Generali, & Diffinitoribus tàm Moniales, & Fratres, quàm eorum negocia remittuntur.*
15 *Electio Commiſſarij Monialium, & per eum geſta reuocantur non obſtan. quibuſcunque.*

GREGORIVS PAPA XIIII. Ad perpetuam rei memoriam.

QVoniam non ignoramus, quantum in Monaſterijs piè inſtitutis, & rectè adminiſtratis in Eccleſia Dei ſplendoris, atque vtilitatis oriatur, in ijs, quæ ad augendam, & conſeruandam diſciplinam Regularem conducere noſcuntur, libenter officij noſtri partes interponimus, aliaq; deſuper diſponimus, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Dudum ſiquidem fœl. rec. Sixtus Papa V. Prædeceſſor noſter per ſuas in ſimili forma Breuis ſub dat. videlicet, die decimą Iulij anni Domini milleſimi octogeſimi ſeptimi, Pontificatus ſui anno tertio, confectas literas, inter alia, quæ conceſſit Ordini Fratrum Carmelitarum Diſcalceatorum nuncupat. Regnorum Hiſpaniarum ad inſtantiã Chariſſimi in Chriſto Filij noſtri (tunc ſui) Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici, id vnum eſt, quod attento magno dicti Ordinis numero, ijdem Fratres in plures Prouincias diuiderẽtur, ſuoſq; Vicarium Generalẽ, & Diffinitores Cõſiliarios haberent, per quos tã Fratres, quàm Moniales gubernarentur, prout

prout in literis dicti Prædeceſſoris deſuper confectis plenius continetur. Cum autem ſicut idem Philippus Rex exponi nobis nuper fecit, ad maiorē totius Regularis diſciplinæ, & vitæ,quam ijdem Fratres profitentur,obſeruantiam,& fœliciorem huius Ordinis progreſſum maximè expediat,vt Prouinciales non reeligantur in Prouinciales eiuſdem Prouinciæ, quam primo regebant, neq; alterius,neq; in Conſiliarios Diffinitores: & quod aliæ eiuſdem Prædeceſſoris literæ,cum certo regimine, & Conſtitutionibus Monialium dicti Ordinis, ſub dat. videlicet die 5. Iunij anni Domini 1590. Pontificatus ſui anno ſexto quoad infraſcripta dumtaxat reformentur.

1 Nos ſingularum literarū prædictarum tenores (ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo infererentur præſentibus) pro expreſſis, ac totaliter inſertis habentes,ac omnes,& ſingulas lites, cauſas,& differentias (ſi quę deſuper ortæ ſint,& pendeāt indeciſæ) ad nos harū ſerie aduocantes, illaſq; penitus extinguentes,ac perpetuū ſilentium deſuper imponentes, ſupplicationibus dicti Philippi Regis hac in parte inclinati harum ſerie perpetuo ſtatuimus,& ordinamus, quod Prouinciales in Capitulo Generali actualiter non reeligantur in Prouinciales illius,quā primo regebant,nec cuiuſuis alterius dictæ Congregationis Prouinciæ, nec etiam in Diffinitores: extra vero dictum Capitulum reeligi poſſint.

2 Præterea quod ipſi Prouinciales (durante ſui Prouincialatus officij tempore) Fratres,& Moniales,ſeu Sorores ſuæ Prouinciæ in ſpiritualibus,& temporalibus regant,& gubernent, ac corrigere, caſtigare, & punire valeant,proceſſu deſuper formato,vel non formato,prout eis iuſtum,& æquum videbitur, omnes & quaſcunque culpas præter illam, quæ grauiſſima in Conſtitutione Fratrum prædictorum nūcupatur,quā hac in parte ad Moniales,& Sorores prædicti Ordinis extēdimus, ac locum habere volumus,& decernimus, omnibus conſtitutionibus dictarū Monialium huic parti contrarijs penitus ſublatis,& abrogatis.

3 Hæc autem,& omnia alia negocia Congregationis eiuſdem iuxta formam Conſtitutionum ſuarum terminanda formato proceſſu, Vicario Generali,& Diffinitoribus pro tempore cum voto deciſiuo omnium,vel maioris partis eorum remittantur,prout in alijs eiuſdem Congregationis negotijs,authoritate Apoſtolica declaratum extitit.

4 Quodq; Prior in ſuo Monaſterio eiſdem modo, & forma vſq; ad culpam grauem incluſiuè cognoſcat.

5 Monialeſq; & earum Monaſteria (non per aliquem Generalem Commiſ-

Commiſſarium, quod officium penitus extinguimus) per Prouinciales ſuos gubernentur, & viſitentur iuxta vniuſcuiuſque Prouincialatus diſtrictum.

6 Item quod Priorillæ in eiſdem Conuentibus, vbi antea fuerunt, nonniſi peracto triennio reeligantur in Prioriſſas, vel Superioriſſas, quemadmodum in Fratribus Prioribus conſtitutum eſt. Ac quod Moniales in vnoquoque Monaſterio nullo modo numerum viginti vnius excedere valeant.

7 Quodq; officium Romanum iuſſu fœlicis recordationis Pij Papæ V. Prædeceſſoris noſtri reformatum, & æditum, vel illud, quod Fratres prædicti pro tempore recitauerint, Moniales ipſæ recitare teneantur.

8 Et inſuper quod Prouinciales ipſi Monialibus, ſiue ſororibus prædictis de Confeſſoribus ordinarijs iuxta præſcriptum ſacri Tridentini Concilij ad earum confeſsiones audiendas abundanter prouideant, facultate Priorisſis ipſis alias conceſſa penitus ſublata.

9 Et dum in capitulo ſecundo Regularum, & Conſtitutionum Monialium ſupradictarum inter alia declaratur, Religioſas, quæ aliquod Monaſterium fundaſſent, illius Monaſterij fore Conuentuales, & perinde ex eo non poſſe dimitti, nec ad primum Monaſterium redire, niſi ex valde vrgenti cauſa Superiorum arbitrio aliter expedire viſum fuerit, & tunc de ſpeciali licentia, vel priuilegio ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, aut niſi in tranſitu à primo aliud à Sede Apoſtolica foret prouiſum. Necnon in Monaſterijs, quæ cum redditibus fundarentur, & quod redditus ſufficientes habuiſſent pro prædicto numero alendo, non vltra quatuordecim Moniales degere, aut recipi poſſent, donec de amplioribus redditibus fuerit prouiſum, niſi forte aliqua ad habitum reciperetur, quæ facultates ad maiorem numerum ſuſtentandum afferret: Nec Prioriſſa contrarium facere poſsit ſub pœna priuationis officij, & nullitatis receptionis earundem. Necnon & in capitulo ſeptimo caueatur, quod nihil omnino proprij Moniales poſſideant. Poſtremo in capitulo vigeſimoſecundo declaretur Regulas, ſeu Conſtitutiones prædictas, ac Superiorum præcepta, & mandata, vel alicui ipſarum per eos pro tempore facienda ad pœnam peccati mortalis non obligare, niſi contra ipſarum Conſtitutionum præceptum aliquod per contemptum committatur, aut niſi per Prælatum quidpiam præcipiatur in ſcriptis, in virtute Spiritus ſancti, & ſanctæ Obedientiæ.

10 Nos, pluribus incommodis, quæ inde ſequi, & oriri poſſent, prouidere, & obuiare cupientes, volumus, mandamus, & ordinamus quoad primum

Digitized by Google

primum caput, quod pro fundandis, & inſtituendis de nouo dicti Ordinis, & Congregationis Conuentibus, ſiue Monaſterijs Moniales, ſeu Sorores huiuſmodi (de licentia tamen ſpeciali, & expreſſa pro tempore Vicarij Generalis,& Diffinitorum) ex ſuis Monaſterijs,Domibus,ſiue Conuentibus extrahi, & transferri, & poſt fundationem, & inſtitutionē ad ſua priſtina Monaſteria, in quibus antea degebant redire poſsint, & vbi dicto Vicario Generali, & Diffinitoribus expedire videatur, remitti debeant.

11 Quo vero ad ſecundum, quod Prioriſſa vltra numerum quatuordecim Monialium aliquam non recipiat, nec recipere poſſit, donec de amplioribus redditibus ad maiorem numerum alendum abunde prouiſum fuerit, ſub pœna priuationis officij dumtaxat, non autem nullitatis receptionis earundem, quam receptionem imò valere volumus.

12 Ad tertium autem,quod Moniales, ſeu Sorores prædictæ nihil omnino proprij, nec etiam ad vſum ſine licentia Prioriſſæ poſſideant.

13 Et quoad vltimum quod Regulæ, ſeu Conſtitutiones huiuſmodi, ſeu Superiorum præcepta, & mandata non obligent nedum ad mortale (prout ſupra dicitur) ſed neque etiam ad veniale peccatum, niſi in caſibus ibidem expreſſis, præfatas Conſtitutiones declarantes, & moderantes ſtatuimus, & ordinamus.

14 Diſtrictius inhibentes quibuſuis Iudicibus, & Commiſſarijs cuiuſque ſtatus, gradus, qualitatis, & dignitatis exiſtant tam dictæ Congregationis, quàm alterius Ordinis, & Regulæ, etiam authoritate Apoſtolica, ac etiam in Capitulo Generali electis, ne in poſterum prædictas Moniales, ſeu Sorores regere, & gubernare, vel earum curam gerere, aut in earum negocijs, & gubernio ſeſe quoquomodo, aut quouis prætextu, cauſa, ſeu occaſione ingerere, intromittere, vel quæcunque negocia dictæ Congregationis quomodolibet, & quauis authoritate, etiam Apoſtolica tam generaliter, quàm particulariter audire, cognoſcere, decidere, aut terminare audeant, vel præſumant. Sed illas, & illa Capitulo, aut Vicario, Generalibus, & Diffinitoribus Conſiliarijs remittant, & remittere debeant, quibus Capitulo, Vicario, & Diffinitoribus Prouinciales, & cæteri Fratres, & Moniales, ſeu Sorores prædictæ Congregationis, ac cætera huiuſmodi negocia omnino,& penitus ſubiaceant. Et quoad reliqua ſingulæ prædictæ literæ Prædeceſſoris noſtri in ſuo robore permaneant, & (quatenus præſentibus non ſunt contrariæ) illas confirmamus, & illis perpetuæ firmitatis robur adijcimus, ab omnibusque, ad quos ſpectat, obſeruari, mandamus.

Digitized by Google

15 Decernentes, tam dictam electionem Commiſſarij Generalis (ſi quæ facta eſt) quàm geſta per eum, ſeu eos nullius eſſe roboris, vel momenti, ſicq; per quoſcunque Iudices, & Commiſſarios quauis authoritate fungentes, etiam Sacri Palatij Auditores, ſublata eis, & cuilibet ipſorum quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, vbique iudicari, & diffiniri debere, necnon irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac alijs Conſtitutionibus, ac Ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis, iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium quomodolibet conceſsis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus eorum tenores, acſi de verbo ad verbum inſererētur præſentibus, pro ſufficienter expreſſis habentes (illis aliàs in ſuo robore permanſuris) hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæterisq; contrarijs quibuſcunque. Volumus quoque, vt præſentes literæ imprimi poſſint, ijsq; impreſſis, aut aliàs tranſcriptis, & manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi originaliter exhiberentur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die 25. Aprilis 1591. Pontificatus noſtri anno primo.

Separatio totalis Carmelitarum Diſcalceatorum à Mitigatis.

SVMMARIVM.

1 *Refert Summus Pont. approbationem inſtituti Carmelitarum Diſcalceatorum factam à Gregorio XIII. & ſegregationem à Mitigatis.*

2 *Item Sixti V. conceſſionem inſtituendi plures Prouincias, & erectionem*

ne vnius Congregationis Diſcalceatorum ſub vno Vicario Generali.

3 *Narrat in Capitulo Generali totius Ordinis Cremonæ habito fuiſſe vtrinq; conſenſum ſuper totali ſeparatione Diſcalc. à Mitigatis.*

4 *Motu proprio confirmat decretum dicti Capituli Generalis ſuper totali ſeparatione, ac Diſcalceatos Sedi Apoſt. immediatè ſubijcit.*

5 *Nomen Vicarij abrogat, & Præpoſitum Generalem Diſcalceatis conſtituit, cui ſex Conſultores adiungit cum voto deciſiuo.*

6 *Præcipit hos Conſultores durante Generali Capitulo Diffinitoris nomen, ac munus habere, ſed extrà hoc tempus nomen Conſultoris retinere, & quomodo ſint eligendi.*

7 *Prouincijs Indiarum ob longinquitatem indulget, vt pro eis eligantur Diffinitores ex alijs prouincijs vicinioribus, & quid agendum ſi ſub vnius Diffinitoris protectione plures eſſent Prouinciæ.*

8 *Diffinitores omnes in eodem Conuentu ſimul cum Præpoſito Generali degant, ipſorum autè conſeſſio Cõgregatio vel Conſulta appellabitur.*

9 *Si contingat Præpoſitum Generalem abſentari à Conſulta, vel infirmari, aut mori, quid agendum.*

10 *Præpoſitus Generalis ſtatim electus, eſt ipſo facto confirmatus, tenetur tamen Cardinalem* Protectorem *de electione certiorem facere; nec vltrà ſexennium durabit, & quid de cæteris* Prælatis.

11 *Exiſtentem eo tempore Vicarium Generalem conſtituit* Præpoſitum *Generalem cum plenitudine authoritatis, & poteſtatis.*

12 *Eidem dat facultatem inſtituendi plures prouincias.*

13 *Tàm ipſi* Præpoſito, *quàm cæteris Fratribus Diſcalceatis omnia, & ſingula Priuilegia, & Indulgentias totius Ordinis communicat, & extendit.*

CLEMENS PAPA VIII. Ad futuram rei memoriam.

Paſtoralis officij Nobis diuinitus iniuncti aſſidua ſollicitudo nos admonet, vt omni cura, & vigilantia ad ea ſemper intendamus, per quæ Regularium perſonarum, quæ relicto ſæculo Dei obſequio ſe dedicarunt, quieti conſulitur, & quæ Religioſum earum propoſitum impedire poſſunt, remouentur, vt nulla re, quæ eas à diuino cultu auocet, præpediti ſecundùm Ordinum ſuorum regularia inſtituta tranquillis mentibus gratum Altiſſimo impendere poſſint famulatum.

1 Dudum ſiquidem fœl. record. Gregorius Papa XIII. inſtitutum, quòd Religioſi Diſcalceati nuncupati Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmeli in Regnis Hiſpaniarum exiſtentes iuxta Primitiuam Regulã profitebantur, laudans, & approbans eoſdem Fratres, & Moniales, eorumq; Domus, Conuentus, Monaſteria, & loca tunc, & pro tempore exiſtentia à Prouincijs Fratrum, & Monialium eiuſdem Ordinis per piæ mem. Eugenium Papam Quartum Prædeceſſorẽ noſtrum iam antea mitigatorum in perpetuum ſeiunxit, ſeparauit, & diſmembrauit, ac eorundẽ Fratrum, & Monialium Diſcalceatorum Domus, Monaſteria, & loca in vnam Prouinciam de per ſe Diſcalceatorum nuncupañ. per vnum Priorem Prouincialem in Capitulo eorum Prouinciali ex eiſdem Diſcalceatis eligẽdum, regendam, & gubernandam in perpetuum erexit, & inſtituit, ac dictam Prouinciam Fratrum, & Monialium Diſcalceatorum ſub obedientia, & ſuperioritate Prioris Generalis totius Ordinis, ſicuti aliæ Prouinciæ eiuſdem Ordinis ſuberant, perpetuò ſubeſſe voluit, qui Prior Generalis per ſe ipſum ſolum, vel per alium virum idoneum, ex ipſis Diſcalceatis, & iuxta eorum primitiuam Regulam, eos viſitare, corrigere, & punire poſſet.

2 Et deinde recol. mem. Sixtus Papa V. Prædeceſſor noſter audiens numerũ Fratrum, & Monialium Diſcalceatorum huiuſmodi non mediocriter auctum fuiſſe, & indies maiora ſuſcipere incrementa, & non ſolum per vniuerſam ferè Hiſpaniam, ſed etiam in Indijs complura Monaſteria, & Domos, aliaq; regularia loca Diſcalceatorum inſtituta, & erecta fuiſſe, & per vnum Priorem Prouincialem non ita commodè regi, & gubernari poſſe, ordinauit, vt ex omnibus Conuentibus Prouinciæ erectæ, vt præfertur, fierent plures Prouinciæ; Vniuerſas verò Prouincias dicti Ordinis Diſcalceatorum in vnam Congregationẽ omnium huiuſmodi Prouinciarum Diſcalceatorum nuncupañ. perpetuò erexit, & inſtituit, ſtatuitque, & ordinauit, vt ſingulis huiuſmodi Prouincijs ſinguli Priores Prouinciales præeſſent, & Vicarius Generalis in Capitulo eiuſdem Congregationis electus ipſis Prioribus Prouincialibus, & toti Congregationi præeſſet, & in illos eandem authoritatem haberet, quam habebat Prior Generalis totius Ordinis prædicti, & aliàs, prout in diuerſis dictorum Prædeceſſorum deſuper confectis literis plenius continetur, ad quas relatio in neceſſarijs habeatur.

3 Cum autem, ſicuti nuper accepimus, in Capitulo Generali Ordinis prædicti in Ciuitate Cremoneñ. hoc præſenti Anno celebrato, in quo Fratres eiuſdem Ordinis tam Diſcalceati, quàm Mitigati nuncupati interuenerunt

nerunt propter bonum pacis, tranquillitatis, & augumenti, tam totius Ordinis, quàm Congregationis Diſcalceatorum huiuſmodi, ac ob alias iuſtas, & rationabiles cauſas vnanimi conſenſu determinatum fuerit, vt ſeparatio Congregationis dictorum Diſcalceatorum omninò ab Ordine Fratrum Mitigatorum, & renunciatio iuriſdictionis Prælatorum vtriuſque partis fieret, ita vt dicta Congregatio Diſcalceatorum nec votum, nec vocem actiuam, & paſſiuam in Capitulo Generali totius Ordinis Carmelitani amplius haberet, nec quomodolibet in ſuis Capitulis ſe intromitteret, nec Prior Generalis dicti Ordinis Mitigatorum vllam haberet authoritatem, iuriſdictionem, & ſuperioritatem in Congregationem Diſcalceatorum prædictam, ac in eius perſonas quaſcunque, ſiue Superiores, ſiue inferiores, & dilectus filius Frater Ioannes Stephanus Chizzola Prior Generalis Ordinis Carmelitarum, & reliqui Capitulares in ſuo Capitulo Generali renunciauerint per ſuffragia ſecreta nomine totius Capituli per ſe, & vniuerſum Ordinem totam illam iuriſdictionem, facultatem, & auctoritatem, quæ ſibi, & Capitulo Generali, per prædictas, & alias literas Apoſtolicas conceſſa fuerat; ita tamen, vt dicta Congregatio Diſcalceatorum, vel eius Superiores omnino in perpetuum non præſumerent accipere loca, vel Conuentus huius Religionis Mitigatorum, etiam ſponte à Ciuitatibus, vel Principibus, ſeu quibuſcunque alijs eis exhibenda, vel offerenda, quod ſi contrarium aliquando ipſos feciſſe compertum foret, nulla eſſet, & irrita iſta conceſſio, & nullum ius omnino acquiſitum eis intelligeretur.

4 Nos æquum, & rationi congruum ducentes, vt qui arctioris Regulæ obſeruantiam ſectantur Superioribus eorum, qui in laxiori degunt, non ſubiaceant, ſed Superiores habeant eiuſdem profeſſionis, & ab illis iuxta eorum inſtituta Regularia proſperè, & feliciter gubernentur, ac dictarum literarum, & decreti dicti Capituli Generalis, & omnium in eo contentorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, insererentur præſentibus, pro expreſſis habentes; necnon de præmiſſis à dilecto filio Noſtro Dominico Tituli S. Griſogoni Presbytero Cardinali Pinello nuncupato, dicti Ordinis, necnon præfatæ Congregationis Diſcalceatorum Protectore plenè informati; Motuproprio, non ad dictorum Fratrum, aut aliorum pro eis nobis deſuper oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, prædictæ ſeparationis decretum in Capitulo Generali huiuſmodi factum, & ordinatum, ac omnia, & ſingula in eo contenta Apoſtolica authoritate tenore

præſen-

præſentium perpetuò approbamus, & confirmamus, ac idem de nouo decernimus, & determinamus, necnon prædictum Vicarium Generalē, ac omnes, & ſingulas perſonas præfatæ Congregationis Diſcalceatorum, illiusq; Conuentus, Domos, Collegia, & Prouincias, tam virorum quàm mulierum ab omni ſuperioritate, iuriſdictione, gubernio, regimine, & adminiſtratione, ſubiectione, obedientia, viſitatione, correctione, & emendatione tam Generalis Ordinis Carmelitarum, quàm aliorum Prælatorum, & Superiorum quacunque authoritate fungentiū, & functurorum, & quantumuis ampliſſimis priuilegijs, & facultatibus vtentium, & vſurorum perpetuò eximimus, & liberamus, ita vt dictus Prior Generalis, aut alij Superiores dicti vniuerſi Ordinis Carmelitarum nunc, & pro tempore exiſtentes nullam omnino iuriſdictionem, facultatem, & authoritatem in dictam Congregationem Diſcalceatorum, illiusq; Vicarium Generalem, ac Conuentus, Domos, Collegia, & Prouincias tam virorum, quàm mulierum habere, exercere, aut prætendere aliquo tempore poſſint, minusq; in rebus, & negocijs eiuſdem Congregationis aliquo pacto ſe ingerere, aut immiſcere valeant, ipſamq; Congregationem Diſcalceatorum, eiusq; Vicarium Generalem, necnon Conuentus, Domos, Collegia, & Prouincias, ſub immediata noſtra, & Sedis Apoſtolicæ protectione, ſubiectione, gubernatione, & obedientia recipimus, & ſubijcimus.

5 Sed quia, ſicut accepimus antea ſubordinationem habebat prædictus Congregationis Diſcalcealtorum Vicarius totius Ordinis Carmelitarum Priori Generali, ac propterea Vicarij nomen obtinebat, & ceſſante illa ſubordinatione illius, cuius vicē gerebat, ſit neceſſe nomen quoq; mutare; Ideo harum ſerie ſtatuimus, & ordinamus eundem ipſum, qui antea Vicarij nomine vocabatur, de cætero Præpoſitum Generalē nominandum Ordinis Diſcalceatorum, ſiue primitiuorū, videlicet primitiuam Regulam Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmeli obſeruantium, qui eandem facultatem habeat, quàm Vicario Generali prædicto dictus Sixtus Prædeceſſor noſter conceſſerat, cum ſex Conſiliarijs, ſiue Aſſiſtentibus votum deciſiuum habeñ. ab eodem Sixto Prædeceſſore, & à piæ mem. Gregorio Papa XIII. etiam Prædeceſſore noſtro aſſignatis, quos Conſiliarios, ſiue Aſſiſtentes huic de nouo inſtituto prædicto Præpoſito Generali adiungimus, & aſſignamus cum voto deciſiuo, vt aliàs iuxta formam præſcriptam in dictis literis Prædeceſſorum noſtrorum habetur. Quibus aſſociatus poterit totum prædictum Ordinem Diſcal-

ceato-

ceatorum regere, & gubernare, iuxta præſcriptum Conſtitutionum ſupradicti Ordinis, quæ dudum ſunt à nobis confirmatæ, vel earum, quæ ab eiſdem Fratribus Diſcalceatis in poſterum fient, & condentur.

6 Quia verò Conſiliarij, ſiue Aſſiſtentes prædicti debent eſſe quoque Capituli Generalis prædicti Diffinitores in eorum Capitulo Generali eligendi, ordinamus, vt ex vnaquaque Prouincia vnus eligatur Diffinitor, non excedendo ſenarium numerum; qui ſit ex Conuentualibus illius Prouinciæ, vel qui habeat Officium pro ea, aut pro vniuerſo Ordine, qui durante Capitulo Diffinitoris, extra verò Conſiliarij, ſiue Aſſiſtentis nomine vocabuntur.

7 Pro Prouincia autem Sancti Alberti, quæ in Indijs Hiſpaniarum exiſtit, vel pro alia, aut alijs, ſi quæ, iuuante Deo, addentur, poſſint propter longinquitatem locorum ex alijs Prouincijs deputari, niſi aliqui ex dictis Prouincijs Indiarum idonei propinquiores extiterint, vt in Diffinitores prædictarum Prouinciarum eligi poſſint; ſi verò ſub protectione vnius Diffinitoris Conſiliarij contingeret plures eſſe Prouincias, alternatim eligatur ex eis prædictus Diffinitor.

8 Qui omnes in eodem Conuentu, & Domo, vt in Conſtitutionibus ſtatutũ eſt, ſimul cum Præpoſito Generali degentes, expeditioni negociorũ, Ordiniſq; regimini intendant; Quæ conſeſſio Præpoſiti Generalis, & Aſſiſtentium, nomine Congregationis, ſiue Conſultæ inſignietur.

9 Si autem contingat Præpoſitum Generalem abſentari à Conſulta, ſiue Congregatione prædicta, vel mori, ante ſuum diſceſſum, aut eius obitum adhuc eo viuente, ſi grauiter infirmabitur, fiet in præſentia ipſius electio Vicarij Generalis per Præpoſitum Generalem, & Aſſiſtentes ex eiſdemmet Conſiliarijs, ſiue Aſſiſtentibus, qui dictæ Congregationi præſideat, & cum reliquis Aſſiſtentibus, vt præfertur, expeditioni negociorum intendat. Quod ſimiliter fiet, ſi hunc contingat infirmari, aut mori, quod ſeruabitur in ſimilibus euentibus, qui Vicarius huiuſmodi aliàs non poterit abſentari in abſentia Præpoſiti Generalis, & vocabitur nouiter electus etiam Vicarius Generalis, cuius Officium, & nomen ſolum durabit dum abſens erit Præpoſitus Generalis, vel ſi mortuus fuerit, vſque ad Capitulum Generale intra ſex menſes incluſiuè cõgregandum, in quo præſidebit vſque ad noui Præpoſiti Generalis electionem, quo abſente prorogabitur Capitulum prædictum vſque ad aduentum Præpoſiti Generalis, interim tamen ordinaria terminabuntur à Diffinitorio, electo prius Vicario Generali, vt præfertur.

Prædi-

Digitized by Google

10 Prædictus autem Præpoſitus Generalis ſtatim electus, ſit ipſo facto confirmatus; teneatur tamen certiorem facere Cardinalem dicti Ordinis Diſcalceatorum Protectorem de huiuſmodi electione; Qui per ſexennium, & non vltra durabit; nec poterit reeligi, niſi alio ſexennio tranſacto, cæteri verò Prælati, & Superiores, ſicuti per Sixtum V. & Gregorium XIV. Prædeceſſores prædictos, & Ordinis Conſtitutiones eſt diſpoſitum, à quibus tempora celebrãdi Capitula Generalia, & Prouincialia, & ea, quæ ibi debent fieri, ſunt definita, quæ omnia obſeruanda præcipimus.

11 Quia verò Capitulum Generale proximè futurum indictum eſt pro feſto Penteceſtes anni ſequentis, videlicet Milleſimi quingenteſimi nonageſimi quarti, & antea non poſſent ſine magno Conuentuum diſpendio, & Fratrum incommodo Capitulariter accedere ad illud; idcirco ex nunc eum, qui iam eſt Vicarius Generalis conſtituimus, & nominamus Præpoſitum Generalem cum plenitudine auctoritatis, & poteſtatis Generalis, ſicuti ſupra diſpoſitum eſt, vt videlicet ſimul cum Aſſiſtentibus regimini Ordinis intendat, ſicuti ſi eſſet per ſuffragia ſecreta electus; Accedente autẽ tempore Capituli ipſe præſideat Capitulo vſque ad electionem noui Præpoſiti Generalis, ſeruatis in reliquis Ordinis cõſtitutionibus, & ſanctionibus Apoſtolicis, necnon Præpoſito Generali, & Aſſiſtentibus, ſeu Diffinitoribus prædictis in Capitulo quæcunque Statuta, & Ordinationes bonum regimen dicti Ordinis Diſcalceatorum ac Dei ſeruitium concernentia: dummodo ſacris Canonibus, & Decretis Concilij Tridentini, ac Conſtitutionibus Apoſtolicis, & eorum Primitiuæ Regulæ, & inſtituto non aduerſentur, condendi, mutandi, alterandi, & in totum, ſi videbitur, abrogandi, & de nouo edendi, ſicuti per Gregorium XIII. ac Sixtum V. & Gregorium XIV. Prædeceſſores præfatos, ac per Nos, & Conſtitutiones dicti Ordinis eſt diſpoſitum, licentiam, & facultatem concedimus.

12 Poterit quoque prædictus Præpoſitus Generalis plures Prouincias inſtituere, Domos, & Conuentus Fratrum vbique Terrarum denuo erigere.

13 Necnon prædicto Præpoſito Generali, ac Ordini Diſcalceatorũ huiuſmodi reſpectiuè quęcũq; Priuilegia, indulta, & facultates Prouinciæ, ac Priori Prouinciali, à Gregorio XIII. antea Diſcalceatorum, & Vicario Generali, & Congregationi, etiam Diſcalceatorum, poſtmodum à Sixto V. erectæ, & à Gregorio XIIII. Prædeceſſoribus prædictis,

& à

Digitized by Google

& à Nobis,vel alijs Rom. Pont. Prædeceſſoribus noſtris conceſſa fuerunt,competere ſtatuimus, & declaramus; Omnia præterea, & ſingula Priuilegia, facultates,gratias, prærogatiuas, indulta,fauores,conceſſiones,tam Priori Generali totius Ordinis Carmelitarum; quàm prædicto Ordini, ſingularibuſq; illius perſonis,tàm à Romanis Pontificibus, quã dictæ Sedis de Latere Legatis, necnon quibuſcunq; Regibus, Imperatoribus,& Principibus ſæcularibus conceſſa, vel concedenda in futurũ, æquè,ac aliis dicti Ordinis Carmelitarum Fratribus, & Religioſis ſine aliqua prorſus differentia conceſſa ſunt,prædicto Ordini Diſcalceatorũ Præpoſito Generali,ſuiſq; Fratribus; dummodo primitiuæ Regulæ, & Ordinis Conſtitutionibus, Regulariq; obſeruantiæ nõ repugnẽt,eiſdem authoritate,& tenore concedimus,& indulgemus; Illiſq; ſi opus ſit ea omnia communicamus,& extendimus. Decernentes præſentes Literas nullo vnquam tempore ſub vllis ſimilium,vel diſſimilium gratiarum reuocationibus,alterationibus,limitationibus, abrogationibus,aut alijs à Rom. Pont. vel dictà Sede nunc,& pro tempore emanatis comprehẽdi, ſed ſemper ab illis exemptas,& quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum,& eum, in quo ante præmiſſa erant, ſtatum reſtitutas, & de nouo etiam ſub poſteriori data per pro tempore exiſtentem Præpoſitum Generalẽ Congregationis huiuſmodi eligenda conceſſas eſſe,& fore; Sicq; per quoſcunq; Iudices,& Cõmiſſarios quacunq; authoritate fungentes, etiam S. R. E. Cardinales, dictæq; Sedis etiam de Latere Legatos, & Nuncios,ac Cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores,ſublata eis,& eorũ cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretãdi facultate,& authoritate,vbiq; & in quauis inſtantia interpretari, iudicari, ac definiri debere, irritum quoq; & inane,ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis authoritate ſcienter,vel ignorãter contigerit attẽtari. Quocirca Venerabilibus Fratribus Vniuerſis Patriarchis, Archiepiſcopis,& Epiſcopis, ac dilectis filijs eorum Vicarijs in ſpiritualibus generalibus, & Cauſarũ Curiæ Cameræ Apoſt. Generali Auditori,necnon Abbatibus,Prioribus,Præpoſitis,Decanis,Archidiaconis, Canonicis, Capitulis, & alijs, ad quos, vel quomodolibet ſpectat,& pertinet,ac ſpectabit,& pertinebit,per præſentes Motu ſimili mandamus,quatenus ipſi, vel duo, aut tres eorum per ſe,vel alium,ſeu alios faciant authoritate noſtra præſentes literas, & in eis contenta quæcunq; ab omnibus,ad quos ſpectat, & pertinere putatur,inuiolabiliter obſeruari,dictoſq; Fratres Diſcalceatos illis omnibus, & ſingulis pacificè frui,& gaudere,non permittentes eos deſuper à quo-

quam quomodolibet moleſtari, Contradictores quoſlibet, & rebelles, & præmiſſis non parentes per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaq; iuris, & facti remedia appellatione poſtpoſita compeſcendo, inuocato etiã ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis. Non obſtantibus præmiſſis piæ mem. Bonifacij Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri de vna, & Concilij Generalis de duabus dietis, dummodo quis vigore præſentium ad iudicium vltra tres dietas non trahatur, ac de nouo recipieñ. nouis domibus, alijſq; Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & literis Apoſtolicis in contrariũ quomodolibet conceſſis, approbatis, & innouatis; Quibus omnibus eorum tenores; præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, necnon omnibus illis, quæ dicti Prædeceſſores in ſuis literis prædictis voluerunt non obſtare, contrarijs quibuſcunque. Aut ſi aliquibus communiter, vel diuiſim ab eadem ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiuſmodi mentionem. Volumus autem, quòd præſentium tranſumptis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo dicti Ordinis Diſcalceatorum, ſeu alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ ipſis originalibus literis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 20. Decembris 1593. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

M. Veſtrius Barbianus.

Com-

Communicatio Priuilegiorum omnium Ordinum etiam Mendicantium.

S V M M A R I V M.

1 *Fratres Diſcalceati vti, & potiri debent omnibus priuilegijs, quibus gaudent Fratres Mitigati Carmelitæ tam principaliter, quàm per communicationem.*

2 *Fratribus Diſcalceatis communicat priuilegia omnium Ordinum, etiam Mendicantium.*

CLEMENS PAPA VIII. Ad perpetuam rei memoriam.

CVm dudum Congregationem Fratrum Diſcalceatorum Ordinis Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmeli à Prioris Generalis, & Fratrum Mitigatorum eiuſdem Ordinis ſubiectione, & dependentia omnino liberauerimus, ac noſtræ, Sedisq; Apoſtolicæ obedientiæ, gubernio, & protectioni ſubiecerimus, & ſuſceperimus, prædictisq; Fratribus Diſcalceatis Præpoſitum Generalem ex ſeipſis, ac ſuæ profeſsionis dederimus, qui iuxta eorum regularia inſtituta eos gubernet, & regat. Et præterea cum vberes laborum ſuorum fructus ex continuis ſuis prædicationibus, lectionibus, ſtudijs, exhortationibus, & alijs penè innumeris pietatis operibus, quæ pro ſalute animarum aſsiduè præſtant, Eccleſia colligat, & vberiores quotidie colligere ſperet, vtpote qui iam ad Indos vſque ſint non modicè propagati, ibique, & vbilibet hominum corda ad Deum omni ſtudio conuertere nitantur. Et quia cùm prædictos Diſcalceatos à Mitigatis ſeparauerimus, dubitari forſan poſſet, an gratiæ, ac priuilegia ipſis Carmelitis Mitigatis tam principaliter, quàm per communicationem conceſſa, ea etiam Diſcalceatis competant.

1 Propterea nos ad tollendam omnem præfatam ambiguitatem prædictorum Fratrum Diſcalceatorum Præpoſitum Generalem, eiusq; Fratres ſibi ſubiectos omnes, & eorum quemlibet à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijsq; Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſiquibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harũ ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes: Necnon quoruncunque priuilegiorum, indultorum, exemptionum, & immu-

Digitized by Google

nitatum Mitigatis Fratribus conceſſorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes: Volentes, eoſdem Fratres Diſcalceatos, ſuumq; Ordinem ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi, & à dilecto filio noſtro S. R. E. Cardinali Dominico Tituli Sancti Griſogoni Pinelló, eiuſdem Ordinis Protectore plene informati, & ad eius inſtantiam ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine prædictum Ordinem Diſcalceatorum, qui vnus eſt de quatuor Mendicantium, eiuſq; Præpoſitum Generalem, ſuoſq; Fratres omnes, & ſingulos, ac Moniales, Domos, Conuentus, Cœnobia, Collegia tam virorum, quàm mulierum, cæteraq; eiſdem pertinentia reſpectiuè priuilegijs, indultis, immunitatibus, exemptionibus, indulgentijs, & gratijs, quibus fruuntur, & gaudent cæteri Carmelitæ Mitigati tam principaliter, quàm per cōmunicationem conceſsis tam à Sixto Papa Quarto, & Clemente Septimo, quàm ab alijs Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris quibuſcunque vti, potiri, & gaudere debere declaramus.

2 Necnon prædicta, & omnia, videlicet priuilegia, indulta, immunitates, exemptiones, indulgentias, & gratias, & alia quæcunque dicti, & aliorum Ordinum etiam Mendicantium Fratribus, perſonis, & bonis, Confraternitatibus, & alijs pijs locis, vel alias quomodolibet præfatis Ordinibus, Domibus, & eorum bonis conceſſa, & concedenda (dummodo Sacroſancto Concilio Tridentino, Regulæ Primitiuæ, & eorum Conſtitutionibus non aduerſentur) prædictis Fratribus Diſcalceatis Ordinis Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmeli, Domibus, & eorum bonis eadem omnino, ſimiliq; modo competere verè, & propriè, acſi eiſdem ſpecialiter conceſſa eſſent, præſentibus pro expreſsis, acſi de verbo ad verbum inſererentur, haberi volentes, decernimus, & ſtatuimus, & ſi opus eſt, eadem nunc concedimus, & impartimur, & quoad quartam funeralium, ſicut alij præfati Ordines gaudent, & potiuntur. Diſtrictius inhibentes omnibus, & ſingulis perſonis in literis præfati Sixti nominatis ſub eiſdem pœnis incurrendis, ſub quibus idem Sixtus Prædeceſſor noſter inhibet, ne prædictis eorum priuilegijs contrauenientes præfatis Fratribus Diſcalceatis, vel eorum Domibus, aut bonis vim, ſeu moleſtiam inferant. Et nihilominus Dominicó Cardinali Pinello nuncupato, dicti Ordinis Diſcalceatorum Protectori, & qui pro tempore erit, & cuilibet in dignitate Eccleſiaſtica conſtituto Metropolitanæ, vel alterius Cathedralis Canonico pluribus, vel ſingulis inſolidum, prout caſus neceſſitas exegerit, per vniuerſum Orbem eandem concedimus authoritatem, & committimus facultatem

pro

Digitized by Google

pro conſeruandis prædicti Ordinis Diſcalceatorum priuilegijs, indultis, immunitatibus, gratijs, indulgentijs, & cæteris conceſſis, & concedendis, quàm prædictus Sixtus Prædeceſſor noſter, & alij Romani Pontifices eiſdem perſonis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, aut Canonico pro conſeruandis priuilegijs tam vniuerſo Ordini Carmelitarum, quàm cæteris Ordinibus conceſſis, conceſſerunt, & impartiti ſunt, quæ omnia, & ſingula hic pro expreſſis haberi ſtatuimus. Decernentes præſentes literas nullo vnquam tempore ſub vllis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum reuocationibus, alterationibus, limitationibus, abrogationibus, aut alijs contrarijs diſpoſitionibus à Nobis, & quibuſcunque Romanis Pontificibus, vel dicta Sede nunc, & pro tempore emanatis comprehendi, ſed ſemper ab illis exemptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & eum, in quo ante præmiſſa erant, ſtatum reſtitutas, & de nouo etiam ſub poſteriori data ꝑ pro tempore exiſtentem Præpoſitum Generalem præfati Ordinis Diſcalceatorum huiuſmodi eligeñ. conceſſas eſſe, & fore, ſicq; per quoſcunque Iudices, & Commiſſarios quacunque authoritate fungentes, etiam S. R. E. Cardinales, dictæq; Sedis etiam de latere Legatos, & Nuncios, ac cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate vbique, & in quauis inſtantia interpretari, iudicari, ac diffiniri debere; irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Venerabilibus Fratribus vniuerſis Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac dilectis eorum Vicarijs in ſpiritualibus Generalibus, & cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Generali Auditori, necnon Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Archidiaconis, Canonicis, Capitulis, & alijs, ad quos, vel quomodolibet ſpectat, & pertinet, ac ſpectabit, & pertinebit, per præſentes mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut vnus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios faciant authoritate noſtra præſentes literas, & in eis contenta quæcunque ab omnibus, ad quos ſpectat, & pertinere putatur, inuiolabiliter obſeruari, dictoſq; Fratres Diſcalceatos illis omnibus, & ſingulis pacificè frui & gaudere. Non permittentes eos deſuper à quoquam quomodolibet moleſtari. Contradictores quoſlibet, & rebelles, & præmiſſis non parentes per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaq; iuris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis. Non obſtantibus præmiſſis piæ mem. Bonifatij Octaui etiam Prædeceſſoris noſtri de vna, & Concilij

Gene-

Generalis de duabus dietis; dummodo quis vigore præſentium ad iudicium vltra tres dietas non trahatur, alijsq; conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium quomodolibet conceſſis, approbatis, & innouatis, quibus omnibus eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus; necnon omnibus illis, quæ dicti Prædeceſſores in ſuis literis præfatis voluerunt non obſtare contrarijs quibuſcunque, aut ſi aliquibus communiter, vel diuiſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo dicti Ordinis Diſcalceatorum, ſeu alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ ipſis originalibus literis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die 23. Martij 1594. Pontificatus noſtri anno tertio.

M. Veſtrius Barbianus.

Exemptio à quarta funerali.

SVMMARIVM.

1 *Moleſtia Fratribus illata à Parochis ſuper ſolutione quartæ funeralis.*

2 *Fratres adducunt pro ſe plura priuilegia, quæ Carmelitas, & alios Mendicantes ab huiuſmodi ſolutione eximunt.*

3 *Summus Pontifex refert eadem priuilegia ſe nouiſſimè Fratribus confir-*

confirmaſſe etiam quoad quartam funeralium.

4 Iterum per præſentes à ſolutione dictæ quartæ, & à Parochorum moleſtijs Fratres liberat, ablata aliter iudicandi authoritate.

CLEMENS PAPA VIII. Ad perpetuam rei memoriam.

DEcet Romanum Pontificem Religioſorum indemnitati benignè proſpicere, eosq; iuxta eorum Priuilegia immunes præſeruare, vt cò alacrius diuinis obſequijs vacare poſſint, prout in Domino ſalubriter conſpicit expedire.

1 Nuper ſiquidem dilectus filius Procurator Generalis totius Ordinis Fratrum Carmelitarum Diſcalceatorum nuncupatorum eiuſdem Ordinis nomine nobis exponi fecit, nõnullos ipſius Ordinis Conuentus, & Collegia ab aliquibus eccleſiarũ Parochialium Rectoribus, & Curatis ſuper quarta funerali, quam dicti Parochi ſibi ex omnibus cadaueribus, quæ de ſua Parochia ad ipſorũ Fratrum eccleſias ibi ſepelienda deferuntur, iure deberi prætendunt, aliquando moleſtari.

2 Ipſos verò Conuentus, & Fratres ad hanc ipſam portionẽ ſeu quartam ſoluendám minimè teneri in vim Priuilegiorum per plures Romanos Pontifices, præſertim fœl. rec. Nicolaum V. Iulium II. & Clementẽ VII. qui Fratres Carmelitas, & alios Mendicantes ab huiuſmodi ſolutione liberos eſſe voluerunt: Quibus Priuilegijs ipſi Fratres (quibus illa etiam quoad quartam funeralium Nos ipſi nouiſſimè confirmauimus) vtuntur, prætendere.

3 Ne verò ex huiuſmodi moleſtijs nouæ quotidie cõtrouerſiæ, ac lites ſuboriri poſſint, idem Procurator Generalis eodem nomine nobis humiliter ſupplicari fecit, vt his moleſtijs modum facere opportuna noſtra declaratione de benignitate Apoſtolica dignaremur.

4 Nos igitur Priuilegiorum huiuſmodi tenores, ac litium, ſiquæ ſuper his motæ ſunt, ſtatus & merita, ac nomina, & cognomina iudicum, & collitigantium præſentibus pro expreſſis habentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, ex Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Sacri Tridentini Concilij interpretum ſententia, Ordinem prædictũ Fratrum Carmelitanorum Diſcalceatorum, eiuſq; Conuentus, Collegia, Cœnobia, & Fratres vniuerſos, quippè qui Carmelitanæ Religionis Priuilegijs

Digitized by Google

gijs à diuerſis Rom. Pontificibus conceſſis, etiam ex ſpeciali noſtra confirmatione, & ſeu communicatione fruuntur, & gaudent, ad ſolutionem quartæ funeralium huiuſmodi, cum vti proponitur, dicta Religio ante annos quadraginta ante confirmationem Tridentini Concilij à prædictis Nicolao V. & Iulio II. ab ea ſolutione fuerit exempta, minimè teneri: Sicq; per quoſcunque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Omnibusq; & ſingulis Parochis, & alijs quibuſcunque perſonis, ne dictos Fratres, eorumq; Conuentus, Collegia, Cœnobia, & loca quæcunque vbiuis exiſtentia, ſuper præmiſſis quoquomodo moleſtare audeant, ſeu præſumant, interdicimus, & inhibemus. Et nihilominus quibuſcunque locorum Ordinarijs, per præſentes committimus, & mandamus, vt præſentes literas, & in eis contenta quæcunque vbi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte dictorum Fratrũ fuerint requiſiti, per ſe, vel alios ſolenniter publicari, ipſiſq; in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant authoritate noſtra illos pręmiſſorum effectu pacificè frui, & gaudere, non permittentes eos deſuper per quoſcunque Parochos, aut alias perſonas quomodolibet indebitè moleſtari. Cõtradictores per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaq; opportuna iuris, & facti remedia appellatione poſtpoſita compeſcendo, inuocato etiam ad hoc ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſuis ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſq; contrarijs quibuſcunque. Volumus autem, vt præſentiũ tranſumptis etiam impreſsis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem vbique fides adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus haberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris, die 5. Iunij 1595. Pontificatus noſtri anno quarto.

M. Veſtrius Barbianus.

Indul-

Digitized by Google

Indultum non exeundi ad publicas Proceſsiones.

SVMMARIVM.

1 *Statutum Carmelitarum Diſcalceatorum à Sede Apoſtolica confirmatum de non exeundo ad hic deſcriptas functiones.*
2 *Decretum Concilij Tridentini de Regularib. ſeſſ. 25. cap. 13.*
3 *Summus Pontifex decernit Carmelitas Diſcalceatos non eſſe compellendos, vt ad publicas proceſſiones accedant.*

CLEMENS PAPA VIII. Ad perpetuam rei memoriam.

Religioſorum, qui ſub ſuaui Religionis iugo, & clauſuræ Monaſticæ obſeruantia in ſpiritu humilitatis gratum Altiſſimo famulatum exhibere ſtudent, quieti, quantũ cum Domino poſſumus, libenter conſulimus, prout in Domino ſalubriter conſpicimus expedire.

1 Exponi ſiquidem nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Generalis Ordinis Fratrum Carmelitarum Diſcalceatorum nuncupatorũ quod ipſius Ordinis Religioſi Primitiuæ Regulæ olim à bo. mem. Alberto Patriarcha Hieroſolymitano Brocardo Priori Generali, & cæteris Fratribus Eremitis, tunc temporis iuxta fontem Eliæ in monte Carmeli commorantibus data, in qua inter alia hæc diſponuntur, vt maneant ſinguli in cellulis ſuis, vel iuxta eas die ac nocte in lege Domini meditantes, ac in orationibus vigilantes niſi alijs iuſtis occaſionibus occupentur: ſe ſe conformare cupientes, inter cætera in eorum ſtatutis à Sede Apoſtolica nouiſſimè confirmatis, ita diſpoſitum habent. Quod nemo egrediatur extra domum ad aliquod negocium pertractandum excepto Priore, Procuratore, & Prædicatore ſolùm quando iuerit ad prædicandum. Neque egrediantur ad ſepeliendos mortuos, neque ad viſitandum cõſanguineos, neque infirmos, neque ad confeſſiones audiendas, niſi in aliquo caſu ita grauis neceſſitatis, quod contra charitatem eſſe videatur non ire ad audiendam talem confeſſionem: & ſimiliter quod nec etiam ad petendas eleemoſynas exire poſſint (licet nullos redditus habeant) vt diſtractionis occaſio omnino è medio tollatur, & cum ſilentio abſque vlla animi perturbatione, orationi, & ſanctis exercitijs vacare poſſint.

2 Et idcirco cum Religioſi prædicti clauſuram obſeruent, & Concilij Tridentini decreto de Regularibus ſeſſ. 25. cap. 13. ordinatum ſit vt Religioſi illi, qui in ſtrictiori clauſura vitam degunt ad publicas proceſſio-

H nes

nes accedere non compellantur pro maiori dictorum Fratrum Carmelitarum Diſcalceatorum ſpiritus quiete, idem Procurator Generalis nobis humiliter ſupplicari fecit, vt opportuna noſtra declaratione prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

3 Nos igitur qui pijs Religioſorum votis libenter annuimus, ac eos vt quietiùs Deo inſeruire valeant, ſpecialibus fauoribus & gratijs benigne proſequimur, ſingulares dicti Ordinis Fratrum Carmelitarũ Diſcalceatorum Religioſos à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, alijsq; Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris & pœnis à iure, vel ab homine, quauis occaſione, vel cauſa latis, ſiquibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, de Venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium eiuſdem Concilij Tridentini interpretum conſilio, Apoſtolica authoritate tenore præſentium decernimus, & declaramus ipſos Religioſos, ſi clauſuram actu obſeruent, non eſſe compellendos, vt ad publicas proceſſiones accedant, ſicq; ab omnibus cenſeri, & ita per quoſcunque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquã quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Mandantes propterea in virtute ſanctæ obedientię quibuſcunque locorum Ordinarijs ne dictos Religioſos ſuper prę-miſſis quoquomodo moleſtare, perturbare, vel inquietare audeant, vel præſumant. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſuis ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegiis quoque indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis, cæteriſq; contrarijs quibuſcunque. Volumus autẽ vt præſentiũ tranſumptis, etiã impreſſis manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ obſignatis eadẽ fides vbique in Iudicio & extra adhibeatur, quæ ipſiſmet præſentibus adhiberetur. Dat. Romæ apud Sanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris, die 8. Maij 1596. Pontificatus noſtri Anno quinto.

M. Veſtrius Barbianus.

Ere-

Digitized by Google

Erectio Conuentus Sanctæ MARIÆ de Scala in Vrbe, cum ſeparatione à Generali,& Conſulta Hiſpaniæ.

S V M M A R I V M.

1 *Erigitur Domus Sanctæ Mariæ de Scala ſeparata à Congregatione Hiſpaniarum,cum extenſione tamen, & communicatione omnium Priuilegiorum,& Indulgentiarum dictæ Congregationis.*

2 *Domus Sanctæ Mariæ de Scala,Collegium Sanctæ Annæ, & Monaſterium Monialium de Ieſu Maria Ianuen. inuicem vniuntur,necnon à ſuperioritate, & communione Congregationis Hiſpaniarum ſeparantur, ac Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubijciuntur.*

3 *Prohibetur tranſitus à Congregatione Hiſpaniarum ad Domum, & Collegium prædicta, & è conuerſo.*

4 *Religioſi dictæ Domus de Vrbe, & Collegij Ianuen. negotia Congregationis Hiſpaniæ in Romana Curia adminiſtrare non poſſunt, nec illius Religioſos huc venientes recipere abſq; licentia* Præpoſiti *Generalis, ac Diffinitorij prædictæ Congregationis.*

5 *Derogat fundationibus, & dotationibus in quibus fortaſſe reſeruata eſſet Superioritas Generalis, & Conſultæ Hiſpaniarum.*

CLEMENS PAPA VIII. Ad perpetuam rei memoriam.

SAcrarum Religionum in Eccleſia Dei piè ſanctéq; inſtitutarum propagationem, & incrementum ſincero deſiderantes affectu, ea libenter concedimus quæ ad propagationẽ, & incrementũ huiuſmodi ſalubriter in Dño cõſpicimus expedire. Sanè cum in Italia, præter Monaſterium ſeu Collegiũ S. Annæ Ianueñ. nullum aliud extet Monaſterium neq; Conuentus,aut Domus Ordinis Fratrum Carmelitarum Diſcalceatorum nuncupat. qui ordo ad primitiuæ Regulæ Ordinis Carmelitarũ præſcriptum in Regnis Hiſpaniarũ inſtitutus ſanctitatis fama redolet,ac ſuaues in Vinea Domini ad populorum eius ſalutem, & ſpiritualem conſolationem fructus affert. Cumq; ſi in Alma Vrbe noſtra alia eiuſdem Congregationis Domus erigeretur, magnos profectò fructus ad Dei laudem, & animarum ſalutem inde prouenturos eſſe ſperandum ſit.

1 Nos Ordinem ipſum ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & quoruncunq; priuilegiorum, indultorum, cōceſſionum, & gratiarum tàm ſpiritualium, quàm temporalium eidem Ordini Fratrum Carmelitarum etiam per modum communicationis & extenſionis, ac aliàs quomodolibet per quoſcunq; Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, ac nos, & Sedem Apoſtolicam conceſſorum, ac literarum Apoſtolicarum deſuper expeditarum tenores præſentibus pro expreſſis habentes ſupplicationibus Dilecti Filij noſtri Dominici tit. S. Griſogoni Presbyter Card. Pinelli nuncupat. totius Ord. Fratrum Carmelitarum apud nos, & Sedem Apoſtolicam Protectoris inclinati vnam Cōgregationis prædictorum Fratrum Carmelitarum Diſcalceatorum Domum in Vrbe pręfata in Eccleſia S. Mariæ de Scala in Regione Tranſtyberim ſita, vel in alia Eccleſia in quacunq; Vrbis Regione poſita per ipſos obtinenda ad Dei laudem, & ipſius Congregationis propagationem, ſeparatam tamen, & diuiſam, vt infra, à prædicta Congregatione Hiſpaniarum perpetuò authoritate Apoſtolica tenore præſentium erigimus, & inſtituimus, ac in ipſa Domo Ordinem Fratrum Carmelitarum Diſcalceatorum perpetuò introducimus, ac ipſius Domus pro tempore Religioſis in perpetuū, vt habitu, & regula, atq; inſtitutis prædictæ Cōgregationis Hiſpaniarum, citra tamen illius ſubiectionem in omnibus, & per omnia ſe ſe conformare, ac illius Statutis, & Conſtitutionibus per nos ſub die 29. menſis Februarij anni 1592. Pontificatus noſtri anno primo confirmatis, necnon quibuſcunq; priuilegijs, indultis, conceſſionibus, exemptionibus, immunitatibus, prærogatiuis, fauoribus, indulgētijs, & alijs gratijs tā ſpiritualibus, quàm temporalibus ſupradictæ Hiſpaniarum Congregationi per quoſcunq; Rom. Pont. prędeceſſores noſtros, ac nos, & Sedem Apoſtolicam quomodolibet, eiam per viam cōmunicationis, ſeu extenſionis, aut aliàs quomodocunq; conceſſis, confirmatis, & innouatis, vti ac frui, & gaudere perinde, ac ſi eidem domui per nos erectæ, eiuſq; futuris Religioſis nominatim conceſſæ fuiſſent, poſſint & valeant, ac debeant, concedimus, & indulgemus, ac mandamus ſtatuimus, & ordinamus: eandem tamen Domum, necnon etiam prædictum Monaſterium, ſeu Collegium S. Annæ Ianuen. necnon Monaſterium Monialium de Ieſu Maria, nuncupat. eiuſdem Ordinis Ciuitatis etiam Ianuen. cum omnibus iuribus, & pertinentijs eorum, ex nunc ab omni ſubiectione, obedientia, ſuperioritate, & dependentia Præpoſiti Generalis, & Conſultæ, ac cæterorum Religioſorum, Congregationis prædictæ

Hiſpa-

Hiſpaniarum poſt hac perpetuò eximimus,ſeparamus,& ſegregamus;

2 Ipſamq; Domum Vrbis,& Collegium ſeu Monaſterium S. Annæ, ac Monaſterium de Ieſu Maria Ianuen. prædicta inuicem vnimus,& incorporamus eaq; à Congregatione Hiſpaniarum prædicta ad noſtrum, & Sedis Apoſtolicæ beneplacitum,ſeparata,ac ſeiuncta eſſe, ita vt Congregatio prædicta in ea nullam habeat iuriſdictionem, ſuperioritatem, aut actionem, nec vlla inter eos communicatio ſit, aut eſſe cenſeatur, neq; Capitulis,electionibus,aut alijs quibuſcunq; actibus tàm publicis, quā priuatis ipſius Cōgregationis fieri ſolitis in Domo, & Monaſterio, ſeu Collegio præfatis, nec viciſſim Domus, & Monaſterij,vel Collegij prædictorum Fratres in Cōgregatione prædicta vocē actiuam, aut paſſiuam habeant, aut aliquo modo ſe ſe intromittant. Domumq; Vrbis prædictam,& Collegium,ſeu Monaſterium Sanctæ Annæ,necnon Monaſterium Monialium de Ieſu Maria Ianuen. nobis,& Apoſtolicæ Sedi immediatè ſubiecta ſub protectione dicti Dominici Cardinalis quādiù vixerit,abſq; alia depēdentia,ſubiectione,& ſubordinatione aliorū quorumcunq; tàm Ordinis Carmelitarū Mitigatorum nuncupat. quàm etiā aliorum Carmelitarum Diſcalceatorum, vbiq; tā in Italia quàm extra, in quacunq; mundi parte exiſtentium exiſtere,eſſe & fore, ac irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis authoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus,& declaramus. Cæterum,vt pax,quę Religioſos maixmè decet,in Congregatione,ac Domo & Collegio,ſeuMonaſterijs præfatis præcipuè ſeruetur, authoritate,& tenore prædictis ſtatuimus,& ordinamus, ac in virtute ſanctæ obedientiæ pręcipimus,& mandamus,vt nullus eorum Religioſorum per ſe,vel interpoſitam perſonam Congregationis,ſeu Domus,& Monaſterij, vel Collegij huiuſmodi viciſſim Religioſos aliquo modo moleſtare, perturbare,vel inquietare,aut in illorum viſitationem,correctionem,& reformationem ſe ſe quoquomodo immiſcere,aut alia quæ ad iuriſdictionē, vel ſuperioritatem aliquam attinent,attentare: Congregationem prædictam, ac Domum, & Collegium, ac Monaſteria huiuſmodi omninò ſeparata, & diſtincta eſſe volumus, præſumant.

3 Nullus quoq; huiuſmodi Religioſus de Congregatione Hiſpaniarum ad Domum,ſeu Collegium,nec viciſſim de Domo,& Collegio prędictis ad Congregationem præfatam ſe transferre: neq; Congregationis fugitiuus,vel expulſus, aut Apoſtata in Domo,vel Collegio, prædictorum in Congregationem prædictā admitti,& recipi valeat: quod

ſi

ſi ſecus ſcienter vel ignoranter fieri contigerit, translatio, receptio, & admiſſio huiuſmodi nullius roboris, vel momenti exiſtat, & ipſe receptus ſtatim eijci debeat.

4 Religioſi quoq; Domus, & Collegij prædictorum Congregationis Hiſpanicæ, illiusvè Prouinciarum Conuentuum, aut ſingularium perſonarum negotia in Romana Curia per ſe vel alios ſine licentia Prępoſiti Generalis, & Diffinitorij ſeu Conſultę ipſius Congregationis Hiſpaniarum tractare, aut Religioſos eiuſdem Congregationis Hiſpanicæ ſine huiuſmodi licentia huc venientes in eorum Domibus recipere non poſſint. Quia verò nonnulla prædictæ Religionis Carmelitarū Diſcalceatorum Statuta per Sedem Apoſtolicam, vt præfertur confirmata, præcipuè ea, quæ gubernij modum reſpiciūt in Domo, & Collegio Monaſterioq; prædictis nequeunt obſeruari, & multa quoq; pro diuerſitate locorum, prout ratio poſtulat, expedit ſtatui atq; ordinari: Propterea Nos præfato Dominico Cardinali Protectori, vt adhibitis aliquibus ex grauioribus, & prudentioribus dicti Ordinis Fratribus nūc in Italia exiſtentibus per ipſum eligen. re maturè conſiderata circa Domus Vrbis prædictæ, ac Collegij, ſeu Monaſterij S. Annæ, & Monaſterij Monialium de Ieſu Maria Ianuen. regimen, & gubernium omnia diſponere, Conſtitutiones prædictas (iuxta tamen dicti Ordinis inſtituta) declarare, & in ijs in quibus opus eſt, addere, imminuere, aut etiam mutare, ac alia de nouo condere, prout in prædictis omnibus ſecundum Deum pro ſtrictiori Regulæ obſeruantia magis cōſpexerit expedire. Concedimus quoq; & indulgemus, vt de licētia ipſius Dominici Cardinalis Nouitij pro nunc extra Capitula capta informatione, & approbata per vota ſecreta Capituli domus, in qua recipi debent, de licentia tamen dicti Dominici Cardinalis, ſeu noſtra, ad habitum prædicti Ordinis recipi, & admitti valeant. Decernentes, præſentes literas nullo vnquā tempore de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, ſeu intētionis noſtrę, vel de quocūq; alio defectu etiam ex eo, quod omnes intereſſe habentes vocati non fuerint, notari, argui, impugnari, aut ad terminos iuris, ſeu in ius, vel controuerſiam reuocari poſſe, ſicq; per quoſcunque Iudices, & Commiſſarios quauis authoritate fungentes, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate vbiq. iudicari, & definiri debere, necnon irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquā quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

5 Non obſtantibus piæ mem. Bonifacij PP. VIII. Prædeceſſoris noſtri,

ſtri, qua cauetur expreſsè nè qui Fratrum Mendicantiũ profeſſores loca ad inhabitandum recipere, ſeu recepta mutare audeant, aut præſumant, abſq; dictæ Sedis licentia ſpeciali de prohibitione huiuſmodi expreſsã mentionem faciente, ac alijs Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon erectionibus dictorum Monaſteriorum S. Annæ, & de Ieſu Maria, ac etiam ipſorum fundationibus, & bonorum vbiuis locorum exiſten. dotationibus, in quibus fortaſſe cauetur, vt bona dictorum Monaſteriorum, vel aliquorum ex ipſis ipſorum Monaſteriorum ſint ſi, & quatenus eadem Monaſteria ſub ſuperioritate Præpoſiti Generalis, & Conſultæ Congregationis Regni Hiſpaniarũ exiſtant, & vlterius dicti Ordinis, iuramento confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus: quibus omnibus, & ſingulis etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis eorumq; totis tenoribus ſpecialis ſpecifica, & expreſſa, ac indiuidua non autẽ per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda foret, tenores huiuſmodi ac ſi ad verbũ infererẽtur præſentibus pro expreſſis, ac ad verbum inſertis habeñ, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſq; contrarijs quibuſcunque. Volumus autem quod præſentium tranſumptis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in iudicio, & extrà adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die xx. Martij M. DXCVII. Pontificatus noſtri Anno Sexto.

M. Veſtrius Barbianus.

Super-

Superintendentia Fratris Petri à Matre Dei Carmelitæ Diſcalceati in Reformatos S. Auguſtini.

SVMMARIVM.

1 Frater Petrus à Matre Dei conſtituitur ſuperintendens Reformatorum S. Auguſtini cum ampliſſima authoritate.

Dilecto Filio Petro de Matre Dei Fratri Ordinis Beatæ Mariæ de monte Carmeli Diſcalceatorum nuncupati.

CLEMENS PAPA OCTAVVS.

Dilecte fili ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

DE Religioſorum quorumlibet ſtatu dirigendo Paſtorali munere ſolliciti, ac de tua fide, integritate, prudentia, pietate, ac Religionis zelo plurimum in Domino confiſi, Te Ordinis Fratrum Diſcalceatorum, ſeu Reformatorum Sancti Auguſtini Superintendentem ad noſtrum, & Apoſtolicæ Sedis beneplacitum facimus, conſtituimus, & deputamus, tibiq; dictum Ordinem regendi, & gubernandi, eiuſq; Statuta, & Conſtitutiones examinandi, & reformandi, ac eorum, & Regularis, ac Eccleſiaſticæ diſciplinæ obſeruantiam introducendi, ac cuſtodiri mandandi quoſcunque in prædicto Ordine receptos, ſeu ad illum ex alijs Ordinibus, & præſertim ex Ordine Conuentualium, aut quauis Cõgregatione Sancti Auguſtini tranſlatos, qui tibi ad Reformationis, & Regulæ dicti Ordinis Reformatorum obſeruantiam idonei non videbuntur, ex dicto Ordine dimittendi, & ad eorum priores Ordines, ſeu Congregationes remittendi, eiſq; Iuramentum, & Votum de obſeruanda dicta Reformatione præſtitum relaxandi, ac illos, & quoſcunque alios eiuſdem Ordinis Religioſos à quibuſcunque cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis per eos ex Ordinis Conſtitutionibus forſan incurſis hac vice dumtaxat, ac denique omnia, & ſingula, quæ ad dicti Ordinis proſperam directionem, ac fœlix regimen, & gubernıũ pertinent, gerendi, ordinandi, mandandi, & exequi faciendi, ac quoſcunque inobedientes, & tibi parere recuſantes per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas cogendi, & compellendi plenam, liberam, & amplam facultatem, & authoritatem concedimus, & impartimur. Mandantes propterea in

virtute Sanctæ Obedientiæ dilectis filijs Vicario Generali, & Fratribus dicti Ordinis Reformatorum Sancti Auguſtini, vt Te noſtro nomine Superintendentem agnoſcant, & recipiãt, tuaq; ſalubria monita, & mandata ſuſcipiant humiliter, & efficaciter adimplere procurent; alioquin ſententiam, ſiue pœnam, quam ritè tuleris, ſeu ſtatueris in rebelles, ratam habebimus, & faciemus, authore Domino vſque ad ſatisfactionem condignam inuiolabiliter obſeruari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Reformatorum, & aliorum Ordinum etiam Iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſq; contrarijs quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die decima Iulij, Milleſimo quingenteſimo nonageſimo nono, Pontificatus noſtri anno octauo.

M. Veſtrius Barbianus.

Declaratio Bullæ Cruciatæ de eligendo Confeſſore, & abſoluendo à caſibus Reſeruatis.

SVMMARIVM.

1 *Facultas eligendi Confeſſorem, & abſoluendi à caſibus reſeruatis in Bulla Cruciatæ conceſſa non habet locum in Fratribus, & Monialibus Ordinis Carmelitarum Diſcalceatorum.*

2 *Fratres, & Moniales prædicti quoad Confeſſionis adminiſtrationem diſpoſitioni ſuorum Prælatorum ſubijciuntur.*

CLEMENS PAPA VIII. Ad perpetuam rei memoriam.

ROmani Pontificis circumſpecta benignitas honeſtis petentium votis, quæ perſonarum ſub Religionis iugo Altiſſimo famulantium ſtatum, & ſalubrem directionem reſpiciunt, ad exauditionis gratiam libenter admittit, & fauoribus proſequitur opportunis. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Generalis Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmeli, quòd cum in Bulla Cruciatæ ſanctæ, & alijs Priuilegijs, quæ ab Apoſtolica Sede concedi ſolent, detur facultas eligendi Confeſſorem idoneum ab Ordinario approbatum, qui poſſit Chriſtifideles abſoluere à caſibus Ordinario reſeruatis, & à quibuſdam etiam, quæ dictæ Sedi reſeruata ſunt, Religioſi dicti Ordinis, ſeu eorum nonnulli, etiam ijs facultatibus vti præſumunt, & illorum prætextu eligunt Confeſſorem aliquando præter eos, qui à ſuis Prælatis eorum Confeſſionibus deputati ſunt, quod aliquando in ſpeciale eorum vergit detrimentum.

1 Quare prædictus Procurator Generalis, humiliter nobis ſupplicari fecit, quatenus in præmiſſis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, talem conceſſionem ſanctæ Cruciatæ, & aliorum Indultorum particularium quantum ad prædictum articulum eligendi Confeſſorem, & abſoluendi à caſibus reſeruatis, cum Fratribus, & Sororibus Monialibus Ordinis prædicti, ac aliorum quorumcunque Ordinum, & Congregationum cuiuſuis inſtituti Mendicantium, & non Mendicantium, tam Prouinciæ Hiſpaniæ, quàm extra eam vbilibet locum minimè habere, neque cẽſeri.

2 Sed noſtræ intentionis exiſtere; quod ijdem Fratres, & Moniales, quantum ad ſacramentum Pœnitentiæ, ſeu Confeſſionis adminiſtrationem diſpoſitioni ſuorum Prælatorum ſubiecti ſint, Apoſtolica authoritate tenore præſentium perpetuò declaramus, eiſdem tamen Prælatis, vt in vſu huiuſmodi poteſtatis ſe cum ſubditis benignos, & faciles exhibeant, præcipimus, & mandamus. Non obſtantibus præmiſſis, & quibuſuis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis prædicti, etiam Iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſq; contrarijs quibuſcunque. Volumus autem, vt præſentium tranſumptis, etiam impreſ-

impreſſis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 23. Nouembris 1599. Pontificatus Noſtri anno octauo.

M. Veſtrius Barbianus.

Erectio Congregationis Italiæ.

SVMMARIVM.

1 *Laudat Summus Pontifex inſtitutum, & obſeruantiam ipſius.*
2 *Idcirco Motu proprio erigit in Italia unam Congregationem ab omni alia ſeparatam.*
3 *Concedit eidem Congregationi Priuilegia.*
4 *Concedit eidem Conuentus extra Hiſpaniam vbique erigere.*
5 *Concedit ad habitum recipere extra Capitula Prouincialia, aut Generalia approbata informatione per Capituli Cõuentualis vota ſecreta.*
6 *Tradit modum capienda informationis.*
7 *Prohibet recipi apoſtatas fugitiuos, & expulſos aliarum Religionum, & annullat eorum receptionem.*
8 *Prohibet curam quaruncunque Monialium, præterquam Monaſterij de Ieſu Maria Ianuenſis.*
9 *Præficit gubernationi prædicta Congregationis cum omni authoritate, & ſub titulo Commiſſarij Fratrem Petrum à Matre Dei.*
10 *Qui erectis duobus Cœnobijs conuocet Capitulum ad electionem Præpoſiti faciendam, in quem eius authoritas refundatur.*
11 *Moriente prædicto Commiſſario ante completam commiſſionem, ſubſtituit eius loco Priorem antiquiorem.*
12 *Concedit erectionem Confraternitatis, & receptionem ad illam.*

CLEMENS PAPA VIII. Ad perpetuam rei memoriam.

IN Apoſtolicæ dignitatis culmine meritis licèt imparibus diuina diſponente clementia conſtituti, ad ea noſtræ mentis aciem libenter dirigimus, per quæ ſacrarũ Religionum in Eccleſia Dei piè ſanctèq; inſtitutarum, quarum profeſſores vitæ ſanctitate & exemplo, ac ſacrarum literarũ doctrina fideli populo ad ſalutem prodeſſe ſtudent, propagationi, & incremento quantum cum Domino poſſumus, intendamus. Aliàs ſiquidem cum in Italia præter Monaſterium, ſeu Collegium ſanctæ Annæ Ciuitatis Ianueñ. nullum aliud extaret virorum Monaſterium, neque Conuentus, aut Domus Ordinis Fratrum Carmelitarum Diſcalceatorum nuncupatorum.

1 Nos cupientes Ordinem prædictum (cuius profeſſores primitiuæ Regulæ à bo. me. Alberto Patriarcha Hieroſolymitano ipſi Ordini præſcriptæ, & à fœl. rec. Innocentio Papa IIII. Prædeceſſore Noſtro prima Septembris anni 1248. Pontificatus ſui anno quintò confirmatæ normã, tùm in Regnis Hiſpaniarum, tum in Italia diligenter obſeruant, & in vtrunque inſtituti ſui finem, priorem ſcilicet, ac potiorem qui eſt diuina vnio per orationem, & contemplationem, & poſteriorem, qui eſt ſalus proximorum, verbo, ac opere Sanctorum Prophetarum Eliæ, & Eliſei, aliorumq; Sanctorum Patrum, quorum hæredes ſunt, veſtigijs inſiſtentes incumbunt) in Alma Vrbe noſtra propagari; vnam eiuſdem Ordinis Domum apud eccleſiam Beatæ Mariæ de Scala nuncupatam, in regione Tranſtyberim de eadem Vrbe, Apoſtolica authoritate perpetuò ereximus prout in noſtris deſuper in forma Breuis expeditis literis pleniùs continetur. Porrò, cum præter fidedignorum teſtimonia, quæ de huius Ordinis ſanctitate ad nos perlata ſunt, nos ipſi experiẽtia cognouerimus quantum vtilitatis in Eccleſia Dei pijs eorum exercitijs, tum orationibus, mortificationibus, aſperitate vitæ, tum prædicationibus, confeſſionibus, & Sacramentorum adminiſtratione ad Dei laudem, & Chriſtifidelium animarum ſalutem quotidie afferat. Volentes vlteriori eiuſdem Ordinis propagationi, quantum cum Domino poſſumus, opportunè proſpicere.

2 Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac mera deliberatione noſtris, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, tam ex prædicta in Vrbe per nos

erecta,

erecta, & alia ſupradicta ſanctæ Annæ Ianuen., & quibuſcunque alijs Domibus, ſeu Conuentibus in Italia forſan hactenus erectis (quas, & quos iam à Congregatione eiuſdem Ordinis Hiſpaniarum per dictas noſtras literas ſeparauimus) quàm ex alijs quibuſcunque Domibus,& Cõuentibus poſthac in Italia, & alijs quibuſuis, præter Hiſpaniam locis, ac Regnis erigendis, vnam Congregationem Fratrum Carmelitarũ Diſcalceatorum à præfata Congregatione, ſeu Ordine Hiſpaniarum,& quibuſcunque alijs eiuſdem Ordinis Congregationibus, ſeu Prouincijs,illarũq; Superioribus, & Fratribus prorſus diſtinctam, & ſeparatam, nobiſque, & Apoſtolicæ Sedi immediatè ſubiectam, ab vno Præpoſito cum Diffinitorum interuentu iuxta regularia eiuſdem Ordinis ſtatuta regendam, & gubernandam authoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuò erigimus, & inſtituimus.

3 Ipſiq; Congregationi ſic erectæ, eiuſq; nunc, & pro tempore exiſtentibus Domibus, ſeu Conuentibus, ac Superioribus, & Fratribus, vt quibuſcunque priuilegijs, indultis, conceſſionibus, exemptionibus, immunitatibus, prærogatiuis, fauoribus, indulgentijs, & alijs gratijs, tàm ſpiritualibus quàm temporalibus ſupradictæ Hiſpaniarum Congregationi per quoſcunque Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, ac nos, & Sedem Apoſtolicam quomodolibet, etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis, aut aliàs quomodocunque conceſſis, confirmatis, & innouatis, ac in poſterum concedendis, vti, frui,& gaudere poſſit,ſine aliqua prorſus differentia, perinde ac ſi eidem Congregationi Italiæ eiuſq; Domibus, Conuentibus, Superioribus, & perſonis nominatim, & æquè principaliter conceſſæ fuiſſent.

4 Vtq; nouas Domos, & Conuentus in quibuſcunque Ciuitatibus, terris, & locis, tàm Italiæ quàm aliarum extra Hiſpaniam Prouinciarum, ac Regnorum recipere, & erigere valeat,dummodò tamen in quacunque illarum, duodecim Religioſorum numerus ad minus commodè ali, & commorari poſſit. Necnon etiam, vt quæcunque bona ſtabilia, & mobilia ipſis Domibus ex quibuſcunque piorum Chriſtifidelium eleemoſynis, largitionibus, donationibus, ſucceſſionibus, legatis, & alijs diſpoſitionibus acquirere,& recipere, ac in eorundem Conuentuum, & Domorum vſus, & vtilitatem conuertere poſſit.

5 Et præterea, quia in eadem Congregatione Capitula Generalia, vel Prouincialia iuxta conſtitutiones quotannis non celebrantur, vt in quibuſcunque Domibus, & Conuentibus eiuſdem nouæ Congregationis

à Su-

à Superiore deputandis. Nouitij ad habitum per Fratres eiuſdem Ordinis geſtari ſolitum de licentia Commiſſarij, ſeu Præpoſiti Generalis eiuſdem Congregationis (ſeruata tamen in reliquis forma Sacrorum Canonum, conſtitutionumq; Apoſtolicarum, ac decretorũ noſtrorum, ipſiusq; Ordinis Regularium Statutorum) dummodo informationes pro Nouitijs admittendis receptæ per vota ſecreta per Capitula Conuentus, in quo huiuſmodi Nouitij recipiendi erunt, approbentur.

6 Ipſasq; informationes, niſi iam aliàs habeantur, Superior Congregationis, vel Conuentus aliquibus Fratribus prudentia, & zelo Religionis præſtantibus recipiendas committat, qui Commiſſarij illas recipiant de qualitatibus eorum, qui recipiendi erunt ex præſcripto conſtitutionum Apoſtolicarum, & ſi extra locum Conuentus huiuſmodi informationes recipiendæ fuerint, idem Superior illas modo præmiſſo recipiendas aliquibus perſonis fidedignis committat, recipi poſſint, & valeant, authoritate, & tenore prædictis concedimus, ac licentiam, & facultatem opportunas impartimur.

7 Et pro maiori huius inſtituti conſeruatione in ipſa Congregatione aliquem etiam Diſcalceatorum Hiſpaniæ, aut ab alia quacunque Religione apoſtatam, fugitiuum, vel expulſum recipi poſſe prohibemus. Quòd ſi ſecus, ſcienter, vel ignoranter fieri contigerit, receptio, & admiſſio huiuſmodi nullius ſit roboris, vel momenti, & ipſe receptus ſtatim eijci debeat.

8 Nullum præterea huius Congregationis Religioſum curam, aut gubernationem Monialium, etiam ſi eiuſdem habitus, & regulæ exiſtant, præterquam Monaſterij de Ieſu Maria Ianueñ. ſuſcipere, vel habere permittimus.

9 Ipſius autem Congregationis Italiæ regimini, & proſperæ gubernationi proſpicere cupientes, dilectum filium Petrum de Matre Dei Priorem prædicti Conuentus Sanctæ Mariæ de Scala de Vrbe eiuſdem Congregationis Commiſſarium Generalem hac vice authoritate, & tenore prædictis facimus, & deputamus, eidemq; Congregationem Italiæ prædictam, eiusq; Domos, & Conuentus quoſcunque erectos, & erigendos regendi, & gubernandi, ac omnia, & ſingula alia quæ iuxta Conſtitutiones Præpoſitus, ac Diffinitores in eadem Congregatione facere, & exercere poſſent, faciendi, & exercendi, ac vbi cenſuerit, Superiores eligi faciendi, per vota ſecreta Capituli Conuentus facultatem, & authoritatem tribuimus.

At

Digitized by Google

10 At vbi alij duo Conuentus iam conditi, ac decenter ſtabiliti erũt, ad quos condendos ſpecialem licentiam concedimus, omnes Superiores cum eorum Socijs, & diſcretis canonicè electis per eundem Petrum ad Capitulum conuocari, & iuxta conſtitutiones ad electionem Præpoſiti, & Diffinitorum Congregationis, & ad reliqua, quæ ad Congregationis bonum expedire crediderint, procedi debere, Præpoſitumq; ritè iuxta conſtitutiones electum eo ipſo confirmatum eſſe, & authoritatem Commiſſarij expirare, totamq; in Præpoſitum (iuxtà tamen conſtitutiones) refundi ſtatuimus & ordinamus.

11 Sed ſi ante expletam huiuſmodi commiſſionem prædictus Petrus è vita diſceſſerit eius vices Priori antiquiori earundem Domorum gerendas committimus, & demandamus.

12 Et vt huius ſacræ vineæ fructus pluribus proſint, Societatẽ, ſeu Confraternitatem Beatæ Mariæ de Monte Carmeli inſtituendi eiq; exercitia iuxtà conſtitutiones præſcribendi, perſonaſq; in eandem Confraternitatem admittendi Congregationis Commiſſario, aut Præpoſito facultatem impartimur. Decernentes præſentes literas nullo vnquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel alio quouis defectu, etiam ex eo, quòd quicunque intereſſe habentes vocati non fuerint, notari, argui, impugnari, aut ad terminos iuris reduci, ſeu in ius, vel controuerſiam reuocari poſſe. Sicq; per quoſcunque Iudices, & Commiſſarios, quauis authoritate fungentes, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate vbique iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis authoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtañ. piæ mem. Bonifacij Papæ Octaui etiã Prædeceſſoris noſtri, qua cauetur expreſsè, ne qui Fratrum Mendicantium Profeſſores loca ad inhabitandum recipere, ſeu recepta mutare audeant, aut præſumant abſque dictæ Sedis licentia ſpeciali de prohibitione huiuſmodi expreſſam mentionem faciente, ac alijs conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Ordinis prædicti, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſq; contrarijs quibuſcunque. Volumus autem, vt harum literarum tranſumptis etiam impreſſis, manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ obſignatis eadem prorſus fides in Iudicio, & extra illud vbique adhibeatur, quæ adhiberetur eiſdem præſentibus ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Dat.

Digitized by Google

Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 13. Nouembris 1600. Pontificatus Noſtri anno nono.

M. Veſtrius Barbianus.

Facultas præcedendi Fratribus B. Mariæ de Mercede.

S V M M A R I V M.

1 *Refert Summus Pontifex tam per viſitatores Apoſtolicos, quam per Sac. Rom. Rotæ Auditorium Decretum fuiſſe, vt Carmelitæ præcedant Fratribus B. Mariæ de Mercede.*

2 *Idem per præſentes literas à Sũmo Pont. declaratur, atq. decernitur.*

3 *Declaratur Carmelitas vbiq; locorum debere præcedere Fratribus B. Mariæ de Mercede, non obſtantibus quibuſcunque.*

CLEMENS PAPA VIII. Ad perpetuam rei memoriam.

AD Rom. Pont. ſpectat dubia, quæ ſuper Conſtitutionum Apoſtolicarũ interpretatione quandoque emergũt, declarare, prout in Domino conſpicitur expedire. Alias ſiquidem emanarunt literæ tenoris ſubſequentis. Ad perpetuam rei memoriam. Decet Romanum Pontificem diſſenſionum, & controuerſiarum materias inter Eccleſiaſticos, Regulares præſertim perſonas, è medio tollere, ac præcidere, prout in Domino ſalubriter conſpicitur expedire. Cum itaque ſicut pro parte dilecti filij Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Carmelitarum nobis nuper expoſitum fuit, alias in Ciuitate Calaritana in Regno Sardiniæ ortæ fuerint controuerſiæ præcedentiæ inter Fratres Ordinis Carmelitarum, & Fratres Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede redemptionis captiuorum. Et licet de anno milleſimo ſexcenteſimo ſub

die

Digitized by Google

die vigeſimaſeptima Aprilis per Viſitatores Apoſtolicos decretũ fuiſſet, vt Fratres Carmelitani in eorum poſſeſſione præcedendi dictis Fratribus B. Mariæ de Mercede manutenerentur, & pridem in Sacro Rotæ Auditorio die decima Martij milleſimo ſexcenteſimo, etiam in petitorio præcedentiam dictis Fratribus Carmelitanis deberi contra ipſos Fratres de Mercede declaratum fuerit: nihilominus dicti Fratres de Mercede recuſauerint, & recuſent præcedentiam dare dictis Fratribus Carmelitanis: Propterea non ſine ſcandalo Populi ad publicas Proceſſiones, & funera defunctorum cum ipſis Fratribus Carmelitanis accedere noluerint;nos ſuper præmiſſis opportune prouidere, ac omnẽ ſcandali,& controuerſiæ occaſionem quantũ cũ Domino poſſumus, è medio tollere volentes, ſupplicationibus eiuſdem Procuratoris Generalis nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati ex voto Venerabilium Fratrũ noſtrorum S. R. E. Cardinalium ſuper ritibus, & cæremonijs deputatorum declaramus, & decernimus prædictos Fratres B. Mariæ de Mercede cogendos eſſe, vt ad Proceſſiones publicas, & funeralia accedant, & præcedentiam dictis Fratribus Carmelitanis relinquant iuxta formã ſupradictorum Decreti, & Deciſionis Rotæ. Sicque, & non aliter per quoſcunque Iudices ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores iudicari, & diffiniri debere, ac irritum,& inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis,& alijs locorum Ordinarijs per præſentes cõmittimus, & mãdamus,vt quandocunque, & vbicunque fuerit opus,& quoties pro parte dictorũ Fratrũ Carmelitarũ fuerint requiſiti,pręſẽtes literas,& in eis cõtenta quæcunque ſolẽniter publicãtes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes faciant authoritate noſtra prædictos Fratres B.Marię de Mercede in Ciuitatibus,& locis in quibus vtraq;Religio,Carmelitarũ ſcilicet,& B.Marię de Mercede eſt inſtituta, ad Proceſſiones publicas,& funeralia, ad quæ accedere tenentur, omnino accedere, ac præcedentiam ipſis Fratribus Carmelitanis, vt præmiſſum eſt,in illis,& in alijs etiam priuatis proceſſionibus, & actibus, in quibus vtranq; Religionem ſimul conuenire contigerit, relinquere, ac ipſos Fratres B. Mariæ de Mercede id facere recuſantes per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaq; opportuna iuris, & facti remedia appellatione poſtpoſita, cogant, & compellant, inuocato etiam ad hoc ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis. Non obſtantibus Conſtitutionibus,

& Ordinationibus Apoſtolicis, cæterisq; contrarijs quibuſcunque. Volumus autem, vt præſentium tranſumptis etiam impreſſis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem fides habeatur, quę ijſdem præſentibus haberetur. Datum Romæ Apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die decimaquinta Nouembris milleſimo ſexcenteſimo ſecundo Pontificatus noſtri anno vndecimo. Cum autem poſtea quia pro parte dilecti filij Procuratoris Generalis dicti Ordinis B. Mariæ de Mercede oppoſitum fuit præſentes literas non debere intelligi pro omnibus ſed pro quibuſdam particularibus tantum locis conceſſas, in Congregatione Sacrorum Rituum, iterum negotium hoc auditis vtriuſq; Ordinis Procuratoribus maturè diſcuſſum, & ipſius Congregationis votum ad nos relatum fuerit, nos omnem vlterius dubitandi ſuper hoc occaſionē è medio tollere volentes ex voto Congregationis prædictæ harum ſerie declaramus, & decernimus Fratres Ordinis B. Mariæ de Monte Carmeli vbiq; locorum, Fratribus B. Mariæ de Mercede præcedere debere, & præinſertas literas in omnibus locis obſeruandas eſſe, ſicq; & non aliter per quoſcunq; Iudices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, non obſtantibus omnibus illis quæ in eiſdem præinſertis literis volumus non obſtare, cęteriſque contrarijs quibuſcunque. Volumus autem, vt præſentium quoque tranſumptis etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem fides habeatur, quæ eiſdem præſentibus haberetur. Datum Romæ apud Sanctum Marcum ſub Annulo Piſcatoris, die vigeſima Septembris milleſimo ſexcenteſimo quarto, Pontificatus noſtri Anno decimo tertio.

M. Veſtrius Barbianus.

Ordo

Ordo Carmelitarum Diſcalceatorum eſt vnus ex quatuor Mendicantium, & ad Proceſsiones compelli non poteſt.

SVMMARIVM.

1 Ordo Carmelitarũ Diſcalceat. eſt vnus ex quatuor Mendicantium, illiq; omnes prærogatiuæ,& priuilegia Carmelitarum competunt.

2 Nullo tempore, vel præſcriptione locum antiquitatis, aut aliam quamlibet prærogatiuam amittit, ſed quandocunq; repetere poteſt.

3 Ad generales Proceſsiones compelli non poteſt, non obſtan. quibuſcunq.

CLEMENS PAPA VIII. Ad perpetuam rei memoriam.

ROmanum Pontificem decet pacem, & vnitatem, maximè inter Dei miniſtros, omni ſollicitudine tueri. Quamobrem ægrè tulimus eos, quorum eſt euangelizare pacem,& bona,& quibus à Domino ſæpè iubetur pacẽ & vnitatem diligere, veritatem apertiſſimam perperam & ſine fundamento impugnando, pacem, non abſq; ſcandalo puſillorum, ſcindere. Ad aures enim noſtras peruenit, nonnullos Religioſos in partibus Indiarum,non obſtantibus habitu, regula, profeſſione, ac titulo à Summis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris, & Nobis,ac etiam ab vniuerſo Populo Chriſtiano vbiq; dari ſolito Dilectis filijs Reformatis Diſcalceatis Ordinis Beatiſſimæ Virginis Mariæ de Monte Carmeli, auſu temerario contendere, illos Carmelitas non eſſe, neq; vnum ex quatuor Ordinibus Mendicantibus. Nos qui Iuſtitiam, & veritatem colere tenemur, huius rei, licèt adeò eſſet manifeſta, maiorem certitudinem, habita in noſtra Congregatione ſuper Reformatione, & viſitatione Regularium conſtituta, matura deliberatione, noſtra declaratione patefacere deliberauimus.

1 Quocirca Motuproprio, & ex certa ſcientia noſtra, deq; Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine,Ordinem,& Congregationem dilectorum filiorum Reformatorum Diſcalceatorum Ordinis Beatiſſimæ Virg. Mariæ de Monte Carmeli, vnum eſſe ex quatuor Ordinibus Mendicantibus, ordinem ſcilicet Carmelitarum (cuius religioſi ſtrictius regulam à bo. me. Alberto Patriarcha Hieroſolymitano habitantibus in Monte

Carmeli traditam, & à fel. rec. Innocentio Papa IIII. Prædeceſſore noſtro confirmatam profitentur, & obſeruant) ipſiſq; omnia ad prædictũ Ordinem tàm de Iure, quàm ex priuilegijs attinentia tanquàm propria competere authoritate Apoſtolica tenore præſentium declaramus, cui declarationi noſtræ ſi quis contradicere præſumpſerit illum anathematis vinculo innodamus.

2 Et licèt dicti Religioſi, vt accepimus, Euangelicæ humilitatis æmulatores, conſilium Dominicum ſectantes, infimum locum tàm in Proceſſionibus, quã Congregationibus, & alijs quibuſcunq; euentibus elegerint, & eligant; Nos tamen qui Domini vices gerentes in terris omniũ Iura tueri tenemur; ipſos nullo modo decurſu temporis, aut alio præſcriptionis modo, locum & præeminentiam, aut aliam prærogatiuã Ordini Carmelitarum competẽtem perdere in toto, nec in parte, neq; vnquam in dubium reuocari, ita vt quoties, quæ per humilitatem prætermittunt, ob iuſtitiæ ordinem repetere voluerint, propria authoritate poſſint, & valeant, authoritate, & tenore prædictis perpetuò ſtatuimus, volumus, & ordinamus.

3 Præterea illos licet ob ædificationem fidelium, maximè nouiter ad fidem venientium, propriæ quieti cedentes, ad proceſſiones tàm priuatas, quàm generales exierint, vel exeant, cum in ſtrictiori clauſura perpetuò iuxta regulam, quam profitentur, degant, ad proceſſiones generales compelli nunquam poſſe. Sicq; per quoſcunque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam Palatij Apoſtolici Auditores ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, iudicari, & definiri debere, ac irritum & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Quocirca Venerabili fratri Archiepiſcopo Mexicañ. necnon dilectis filijs Decano, & Archidiacono Eccleſiæ Mexicañ. per præſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſi vel duo, aut vnus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcunque vbi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte dictorum Religioſorum fuerint requiſiti, ſolenniter publicantes, illiſq; in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant authoritate noſtra illos præmiſſorum omnium, & ſingulorum effectu pacificè frui & gaudere; Non permittentes eos deſuper à quoquam quauis authoritate quomodolibet indebitè moleſtari: Contradictores quoſcunque per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaq; opportuna Iuris,

& fa-

& facti remedia appellatione poſtpoſita compeſceñ. inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis. Non obſtañ. fel. rec. Bonifacij Papæ VIII. Prædeceſſoris noſtri de vna, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodò vltra tres dietas aliquis authoritate præſentium ad Iudicium non trahatur, alijsq; conſtitutionibus,& ordinationibus Apoſtolicis, ac eiuſdem Ordinis etiam iuramento,confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis,& conſuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & literis Apoſtolicis eidem Ordini, eiusq; Superioribus, Religioſis, & quibuſuis alijs perſonis, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis,ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsq; efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus,& alijs Decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis,confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus, & ſingulis, eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hac vice dumtaxat ſpecialiter,& expreſsè derogamus,cæterisq; contrarijs quibuſcunque. Volumus autem vt præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris die 20. Auguſti 1603. Pontificatus noſtri anno duodecimo.

M. Veſtrius Barbianus.

Con-

Digitized by Google

Confirmatio Declarationis Clemen. VIII. quod Ordo Carmelitarum Diſcalceatorum ſit vnus ex quatuor Mendicantium, & ad Proceſsiones compelli non poſsit.

SVMMARIVM.

1 *Clemens Octauus declarauit Ordinem Carmelitarum Diſcalceatorum vnum eſſe ex quatuor Mendicantium, illiq; prærogatiuas, & priuilegia Carmelitarum competere, ad Proceſſiones verò non poſſe compelli.*

2 *Paulus V. prædictam Clementis declarationem confirmat, & vbiq; habere locum decernit.*

3 *Eoſdem Carmelitas Diſcalceatos ad Proceſſiones non poſſe compelli denuo declarat non obſtantibus quibuſcunq;*

PAVLVS PAPA V. Ad perpetuam rei memoriam.

EX iniuncto nobis Apoſtolici muneris debito ad ea libenter intendimus, per quæ ſacrarum religionum in Eccleſia militante piè, ſanctèq; inſtitutarum quieti opportunè conſulitur, aliàs ſiquidē à fœl. rec. Clemente Papa VIII. Prædeceſſore noſtro emanarunt literæ tenoris ſequentis, videlicet.

1 Clemens Papa Octauus ad perpetuam rei memoriam. Romanum Pontificem decet quietem, & vnitatem maximè inter Dei miniſtros omni ſolicitudine tueri, quamobrem ægre tulimus eos, quorum eſt euangelizare pacem, & bona, & quibus à Domino ſæpe iubetur pacem, & vnitatem diligere, veritatē apertiſſimam perperam, & ſine fundamento impugnando pacem non abſque ſcandalo puſillorum ſcindere: Ad aures enim noſtras peruenit nonnullos Religioſos in partibus Indiarum non obſtantibus habitu, regula, profeſſione, ac titulo à ſummis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris, & nobis, ac etiam ab vniuerſo populo Chriſtiano vbique dari ſolito Dilectis filiis Reformatis Diſcalceatis Ordinis Beatiſſimæ Virginis Mariæ de Monte Carmeli, auſu temerario contendere illos Carmelitas non eſſe, neque vnum ex quatuor Ordinibus Mendicantibus, Nos, qui iuſtitiam, & veritatem colere tenemur huius rei, licet adeo eſſet mani-

manifeſta, maiorem certitudinem, habita in noſtra Congregatione ſuper reformatione, & viſitatione Regularium conſtituta matura deliberatione, noſtra declaratione patefacere deliberauimus. Quocirca motuproprio, & ex certa ſcientia noſtra, deq; Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine Ordinem, & Congregationem dilectorum filiorum Reformatorum Diſcalceatorum Ordinis beatiſſimæ Virginis Mariæ de Monte Carmeli vnum eſſe ex quatuor Ordinibus Mendicantibus, Ordinem ſcilicet Carmelitarum (cuius Religioſi ſtrictius Regulam à bo.me. Alberto Patriarcha Hieroſolymitano habitantibus in Monte Carmeli traditam, & à fœl. record. Innocentio Papa Quarto Prædeceſſore noſtro confirmatam profitentur, & obſeruant) ipſiſq; omnia ad prædictum Ordinem, tam de iure, quàm ex priuilegijs attinentia tãquam propria competere authoritate Apoſtolica tenore præſentiũ declaramus, cui declarationi noſtræ ſiquis cõtradicere præſumpſerit, illum anathematis vinculo innodamus, & licet dicti Religioſi, vt accepimus, Euangelicæ humilitatis æmulatores conſilium Dominicum ſectantes infimum locum, tam in Proceſſionibus quàm Congregationibus, & alijs quibuſcunque euentibus elegerint, & eligant. Nos tamen qui Domini vices gerentes in terris omnium iura tueri tenemur ipſos nullo modo decurſu temporis, aut alio præſcriptionis modo locum, & præeminentiam, aut aliam prærogatiuam Ordini Carmelitarum competentem perdere in toto nec in parte, neque vnquam in dubiũ reuocare, ita vt quoties quæ per humilitatem prætermittunt, ob iuſtitiæ ordinẽ repetere voluerint, propria authoritate poſſint, & valeant, authoritate, & tenore prædictis perpetuò ſtatuimus, volumus, & ordinamus. Præterea illos licet ob ædificationẽ fidelium maximè nouiter ad fidem venientiũ propriæ quieti cedentes ad proceſſiones tam priuatas quàm generales exierint, vel exeant, cum in ſtrictiori clauſura perpetuo iuxta Regulam, quam profitentur, degant, ad proceſſiones generales compelli nunquam poſſe, ſicq; per quoſcunque Iudices ordinarios & delegatos, etiam Palatij Apoſtolici Auditores ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis authòritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Quocirca Venerabili fratri Archiepiſcopo Mexicañ., necnon dilectis filijs Decano, & Archidiacono Eccleſię Mexicañ. per præſentes committimus, & mandamus quatenus ipſi, vel duo, aut vnus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcunque vbi,

& quan-

& quando opus fuerit, & quoties pro parte dictorum Religioſorum fuerint requiſiti, ſolenniter publicantes, illiſq; in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes faciant authoritate noſtra illos præmiſſorum omnium, & ſingulorum effectu pacificè frui, & gaudere non permittentes eos deſuper à quoquam quauis authoritate quomodolibet indebitè moleſtari, contradictores quoſcunque per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaq; opportuna Iuris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, inuocato etiam ad hoc ſi opus fuerit auxilio brachij ſecularis, non obſtantibus fœl. record. Bonifacij Papæ Octaui Prædeceſſoris noſtri de vna, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo vltra tres dietas aliquis authoritate præſentium ad Iudicium non trahatur, alijſq; conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac eiuſdem Ordinis etiam Iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eidem Ordini, eiuſq; Superioribus, Religioſis, & quibuſuis alijs perſonis, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſq; efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & alijs decretis in genere, vel in ſpecie, ac alias in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis: quibus omnibus, & ſingulis eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſq; contrarijs quibuſcunque. Volumus autem, vt præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris die 20. Auguſti 1603. Pontificatus noſtri anno duodecimo.

2 Nos autem ne ab aliquibus vnquam dubitari, aut ambigi poſſit, an præinſertæ Prædeceſſoris literæ ſolum quoad partes Indiarum diſponant, opportunè prouidere, ac Ordinem, ſeu Congregationem huiuſmodi amplioribus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, Motu proprio non ad dictorum Fratrum, ſeu pro eis alicuius alterius Inſtantiam, ſed ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine præinſertas Clementis Prædeceſſoris literas, ac declarationem, præceptum, ſtatutum, voluntatem, & decretum in illis continentes ad quoſcunque Chriſtiani orbis partes authoritate Apoſtolica tenore præſentium extendimus, & ampliamus, volentes, & decernentes, quod præinſertæ literæ prædictæ

non

non ſolum ad Indos in prædicta Ciuitate, & Regno Mexicañ., pro quibus nominatim obtentæ videntur, verumetiam in alijs quibuſcunque Hiſpaniarum, Galliarum, & Italiæ Regnis, & denique totius Chriſtiani Orbis prouincijs, in quibus prædicta Carmelitarum Diſcalceatorũ Religio, ſeu Congregatio ſuæ primitiuæ Regulæ Monaſteria hucuſque fundata habet, vel in futurum Deo adiuuante fundabit (vtpote quæ in totius Religionis, non vero vnius tantum prouinciæ fauorem conceſſæ fuerunt) obſeruare, & pro illis conceſſæ cenſeri, & intelligi debeant: Præcipientes ſub eiſdem cenſuris, & alijs pœnis in præinſertis literis contentis omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & in futurum ſpectabit, vt præinſertas literas vbique locorum, & gentium obſeruent, & obſeruari curet, & faciant, & pro potiori cautela omnia, & ſingula in præinſertis literis contentã, & declarata videlicet Ordinem dictorum Diſcalceatorũ Carmelitarum vnum eſſe ex quatuor Mendicantibus, eiuſq; Religioſis in quibus locis Proceſſionibus, Congregationibus, Comitijs, & alijs euentibus cum aliorum Ordinum Religioſis conuenire, & congregari contigerit, locum eidem Ordini Carmelitarum debitum, & conſuetum dari, & aſſignari debere, quem ſi aliquando alicubi propter humilitatem reliquerint, ſeu reliquerint, infimum eligentes, illum quoties voluerint propria authoritate repetere poſſe, & valere.

3 Ac tandem quia in ſtrictiori clauſura iuxta Regulam, quam profitentur viuunt ad Proceſſiones generales publicas accedere compelli non poſſe denuo declaramus præſenteſq; & præinſertas dicti Clementis Prædeceſſoris literas nullo vnquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel alio quocunque defectu notari, impugnari, inualidari, infringi, retractari, aut in ius, vel controuerſiam reuocari poſſe, ſicq; per quoſcunque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores ſublata eis, & eorũ cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Et nihilominus Venerabili fratri noſtro Dominico Epiſcopo Portueñ. S.R.E. Cardinali Pineſlo nuncupato, prædicti Ordinis Carmelitarum moderno, & pro tempore exiſtenti Protectori, & Venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & alijs locorum Ordinarijs per vniuerſum Orbem conſtitutis per præſentes cõmittimus, & mandamus quatenus ipſi, vel quicunque ipſorum per ſe, vel

alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcunque, vbi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte dictorum Religioſorum fuerint requiſiti ſolenniter publicantes, illiſq; in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes faciant authoritate noſtra præinſertas Clemētis Prædeceſſoris, ac præſentes noſtras literas vbique obſeruari, ipſoſq; Religioſos contentorum in eiſdem Clementis Prædeceſſoris literis, aliorumq; præmiſſorum effectu pacificè frui, & gaudere, non permittentes eos deſuper à quibuſcunque quauis authoritate fungentibus quouis prætextu quomodolibet indebitè moleſtari, contradictores quoſcunque, eiſq; auxilium, conſilium, vel fauorem publicè, vel occultè, directè, vel indirectè, quomodolibet præſtantes per cēſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaq; opportuna iuris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis. Non obſtantibus præmiſſis, ac omnibus illis, quæ dictus Clemens Prædeceſſor in præinſertis literis voluit non obſtare, cæteriſq; contrarijs quibuſcunque. Volumus autem, vt præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in Iudicio, & extra adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 24. Septembris 1605. Pontificatus Noſtri anno primo.

M. Veſtrius Barbianus.

Facultas erigendi Monaſteria de ſola licentia Ordinarij, nullo Regularium requiſito conſenſu.

S V M M A R I V M.

a Indulgetur Superioribus, & Religioſis Carmelitis Diſcalceatis, vt vbiq;

vbiq; locorum in ſuo quiſq; diſtrictu Monaſteria erigere valeat de ſola Ordinariorũ licentia, nullo alio Regularium requiſito conſenſu.

2 *Derogatur contrarijs; & præſertim Conſtitutioni Clementis VIII. Quoniam ad inſtitutam.*

PAVLVS PAPA V. Ad perpetuam rei memoriam.

AD Eccleſiæ militãtis (cuius regimini, licet immeriti, Diuina diſponente clementia, præſidemus) amplitudinem, nihil magis neceſſarium, quàm perfectorum militum Chriſti multitudinem exiſtimamus. Cùm igitur, ſicut magno cum ſpirituali gaudio noſtro accepimus, Dilecti filij Religioſi Ordinis Beatæ MARIAE de Monte Carmeli (Carmelitæ Diſcalceati nuncupati) tàm in Hiſpaniarum Regnis, quàm in Italia, & noui Orbis, aliiſq; Mundi partibus pergant aſſiduè Deo, & Eccleſiæ Sanctæ ſuæ perfectum exhibere famulatum, non ſolùm ipſi Deo per orationem, & contemplationem ſedulò vacantes, verum etiam animarum ſalutem: exemplo, & doctrina ſollicitè procurantes: cumq; in dies fructus vberiores ex dictæ Religionis propagatione, benedicente Domino, ſperandi ſint:

1 Nos ad ea quæ Religioſorum eorundem augmẽto cedere poſſunt, concedenda, adq; ea, quæ illis in hoc impedimentum aliquod afferre dignoſcuntur, remouenda meritò propenſiores ſumus. Quare Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac mera deliberatione noſtra, deq; Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine eiuſdem Ordinis Carmelitarum Diſcalceatorum Superioribus, & Religioſis, vt vbiq; locorum quilibet in diſtrictu ſuo, iuxta literarum fel. rec. Clementis VIII. Prædeceſſoris noſtri ſuper erectione Congregationis Italicæ prædicti Ordinis ſub data die xiij. Nouembris Anno Domini M. D C. Pontificatus ſui anno nono expeditarum formam, & tenorem, quem præſentibus pro expreſſo haberi volumus: Domos, & Monaſteria, iuxta Conc. Trid. decreta, de ſola licentia Ordinariorum, nullo aliarum perſonarum cuiuſuis ordinis, etiam regularium, requiſito conſenſu, condere, fundare, & erigere valeant, authoritate Apoſtolica, tenore præſentium licentiam ac facultatem concedimus, & indulgemus.

2 Non obſtan. eiuſdem Clementis Prædeceſſoris, quæ incipit, Quoniam ad inſtitutam, ſub dat. Romæ apud Sanctum Marcum ſub Annulo

Piſcatoris die xxiij. Iulij M. D CIII. Pontificatus ſui anno xij. alijſq; conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, & cuiuſuis alterius ordinis etiam Iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoq; indultis, & literis Apoſtolicis, quibuſuis alijs Ordinibus, ac eorum Superioribus; & perſonis ſub quibuſcumq; verborum formis, & tenoribus in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus, & ſingulis eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ac derogatum eſſe volumus, cæteriſq; contrarijs quibuſcunque. Volumus autem vt præſentium trãſumptis etiam impreſſis manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die xij. Decembris M D C V. Pontificatus noſtri anno primo.

M. Veſtrius Barbianus.

Conceſsio Erectionis Monaſteriorum ad propagandam fidem deſtinatorum.

SVMMARIVM.

1 Conceditur Congregationi Italicæ ædificare Monaſteria miſſionibus deſtinata, in quibuſcunque locis, atque Prouincijs.

2 Fratribus ad conuerſionem infidelium accinctis datur Indulgentia Plenaria.

3 Præcipitur, ne in alios vſus conuertantur erogata à fidelibus pro miſſionibus, & conuerſione Infidelium procurandis.

PAV-

PAVLVS PAPA V. Ad perpetuam rei memoriam.

TOtius terrarum Orbis cura Nobis (licèt inſufficiētibus ad tantum onus viribus) Diuina prouidentia commiſſa, ac præcipuus, quo flagramus, Chriſtianæ fidei per vniuerſam terram propagandæ zelus nos impellunt, vt nihil ardentius deſideremus, & iuxta Dominicum præceptum enixiùs obſecremus Dominum meſsis, quàm, vt mittat operarios in meſſem ſuam. Quamobrem magnopere pergauiſi ſumus, cùm pium zelum dilectorum filiorum Religioſorum Ordinis Carmelitarum Diſcalceatorū Congregationis Italicæ, eiuſdem Chriſtianæ fidei incrementum ſummo ſtudio affectare perſpeximus. Quandoquidem (vt eorum nomine nobis nuper expoſitum fuit) ipſi Religioſi non ſolùm, vt iam cęperunt, ad conuerſionem Infidelium, quocunq; opus fuerit, ſe alacriter profecturos profitentur: ſed etiā in generali Capitulo nuper ab ipſis celebrato, vt cępto operi validioribus viribus, ac maiori cū fructu incumbere poſsint, decreuerunt Domos, & Monaſteria erigere, in quibus ij Religioſi, qui ad huiuſmodi meſſem aptiores videbuntur, diuerſarum linguarum ſcientiā, & controuerſiarum peritiam ad euertendos errores Hæreticorum, Saracenorum, Schiſmaticorum, Gentilium, & Iudæorum neceſſariam addiſcere, & maioribus vigilijs, abſtinentijs, orationibus, alijsq; virtutum exercitijs aſſueſcere poſsint, ac meliùs tāto ſe operi diſponant. Quod decretum, vt nos Apoſtolica authoritate confirmare, & illos Eccleſiæ theſauro ſpirituali alere, fideleſq; ſuis opibus temporalibus piè illis ſubuenientes, ne eorum eleemoſynæ in alios vſus diſtrahantur, impoſitis cenſuris ſecuros reddere dignaremur, humili poſtulatione ſupplicarunt.

1 Nos igitur piū huiuſmodi eorundem Religioſorū inſtitutū plurimū in Dño cōmendantes, ac illos ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, Decretum prædictum authoritate Apoſtolica tenore pręſentium confirmamus, & approbamus: ac eidem Congregationi Italicæ Fratrum Carmelitarum Diſcalceatorum, vt Domos, ſeu Monaſteria ad huiuſmodi effectum in Vrbe, aut prope illā, & nūc apud Sanctum Silueſtrum in Tuſculano, & in quibuſuis alijs Prouincijs, & locis, vbi Præpoſito, & Diffinitoribus viſum fuerit, fundare liberè, & licitè poſsint, & valeant, licentiam, & facultatem concedimus.

2 Et vt alacriores tanto operi ſe accingant: De omnipotētis Dei miſericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius authoritate confiſi,

ſiſi, eiſdem Religioſis, vt ijs diebus quibus à Superioribus deſtinati Monaſterijs miſſionum incorporati fuerint, & poſt annum, aut aliud tempus à Præpoſito definiendum, pro maiori ſtabilitate profeſſionem renouauerint, & votum ad Infideles (iuxta Superioris præſcriptum) pergendi emiſerint, & cùm inde ad Miſſiones diſceſſerint, & Prouinciam aliquam, ad quam pergunt, conuertendam ingreſſi, ad opus ſe accinxerint, ſacramenta confeſſionis, & Euchariſtiæ (ſi poſſibile fuerit) in prædictis diebus perceperint, Plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus, & elargimur.

3 Inſuper, vt pij fideles, qui, vt tanti operis mercedem in æternum percipiant, ſuis facultatibus illud iuuare decreuerint, ſecuri reddantur, quòd eleemoſynæ, quas ad hunc ipſi finem erogauerint, in hunc, & non in alios vſus conuertentur, in virtute ſanctæ Obedientiæ Superioribus omnibus, & alijs quibuſuis Religioſis prædictæ Congregationis præcipimus, vt ea, quæ fideles, pro Miſſionibus faciẽdis, & cõuerſione Infidelium procuranda erogauerint, in hoc opere, ſcilicet in alendis Miniſtris, procurandis libris, ac Magiſtris, & alijs neceſſarijs tam pro Conuẽtibus prædictis, quàm pro Miſſionibus, & Domibus, ac Eccleſijs in terris, ad quas mittentur, condendis, inſtruendis, ac alendis conuerti curent, & in alios vſus præter prædictos non diſtrahant. Quòd ſi ſecùs fecerint, excommunicationis maioris latæ ſententiæ pœnam à qua non ab alio, quàm à Romano Pontifice (præterquam in mortis articulo) abſolui poſſint, incurrant eo ipſo; Et nihilominus teneantur, quæ conſumpſerunt ad prædictum opus reſtituere, & ex bonis aliorum Conuentuum redintegrare. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſq; contrarijs quibuſcunque. Volumus autem, vt præſentiũ tranſumptis, etiam impreſſis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadẽ prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 15. Decembris 1605. Pontificatus noſtri Anno primo.

M. Veſtrius Barbianus.

Indulgen-

Digitized by Google

Indulgentiæ pro Confratribus Beatæ Mariæ de Monte Carmeli.

SVMMARIVM.

1 *Varia Indulgentia conceduntur Confratribus, & Consororibus Confraternitatis B. Maria de Monte Carmeli.*

2 *Datur facultas Priori Generali Carmelitarum, vel eius Generali Vicario dictam Confraternitatem vbiq; locorum erigendi, & has Indulgentias illi communicandi.*

PAVLVS PAPA V. Ad perpetuam rei memoriam.

1 CVm certas vnicuique Confraternitati Indulgentias, & gratias ſpirituales, quibus de cætero fruantur, duxerimus præſcribendas: Idcirco nos omnes, & ſingulas Indulgentias, & peccatorum remiſſiones, ac pœnitentiarum relaxationes Confraternitati Beatæ Mariæ de Monte Carmeli in quibuſcunque Ciuitatibus, & locis canonice inſtitutæ, & illius Confratribus, & Consororibus hactenus per quoſcunque Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros reuocantes, ac nullius roboris, & momenti eſſe declarantes: De omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius authoritate confiſi, omnibus vtriuſque ſexus Chriſtifidelibus, qui dictam Confraternitatem vbiuis locorum tam hactenus canonicè, vt præfertur, inſtitutam, quàm deinceps, vt infra, inſtituendam de cætero ingredientur, & habitum receperint, die primo eorum ingreſſus, ſi verè pœnitentes, & confeſſi, ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum ſumpſerint, Plenariam; Ac tam ipſis pro tempore deſcribendis, quàm iam deſcriptis in dicta Confraternitate Confratribus, & Consororibus etiam verè pœnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui in feſto principali Commemorationis eiuſdem beatæ Mariæ die decimaſexta menſis Iulij, aut iuxta ritum nonnullorum locorum die Dominica immediatè ſequenti celebrari ſolito ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum ſumpſerint, ac pro Chriſtianorum Principū concordia, hæreſum extirpatione, ac ſanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, etiam Plenariam. In mortis quoque articulo

ticulo eiſdem vtriuſque ſexus Confratribus, qui pœnitentes, & confeſſi, ac ſanctiſſima Communione refecti Nomen IESV ore, ſi potuerint, ſin autem corde deuote inuocauerint, Plenariam ſimiliter omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Necnon ipſis Confratribus, & Consororibus, qui ſimiliter pœnitentes, & confeſsi, ac ſacra Communione refecti, Proceſsioni in vna Dominica cuiuslibet menſis, per dictam Confraternitatem de Ordinarij loci licentia faciendæ deuote interfuerint, & ibi, vt præfertur, orauerint, ſeptem annos, & totidem quadragenas: Ipſis verò, qui ab eſu carnium ijs diebus, quibus Confratres dictę Confraternitatis ex illius inſtituto veſci non ſolent, abſtinebunt, tercentum dies: Qui autem qualibet die ſepties orationem Dominicam, & toties ſalutationem Angelicam ad honorem ſeptem gaudiorum eiuſdem Beatæ Mariæ Virginis recitauerint, quadraginta dies: Necnon etiam qui cum habitu eiuſdem Confraternitatis pœnitentes, & confeſſi ſemel in menſe ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum ſumpſerint, &, vt præfertur, orauerint, quinque annos, & totidem quadragenas: Ijs vero Confratribus, & Consororibus, qui pœnitentes, & confeſſi in qualibet ex feſtiuitatibus eiuſdem Beatæ Mariæ Virginis dictum ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentū in Eccleſia, vel Cappella dictæ Confraternitatis deuotè ſumpſerint, & vt ſupra dictū eſt, orauerint, tres annos, & totidem quadragenas: Qui autem cum lumine dictum Euchariſtiæ ſacramentum, quando ad Infirmos deferetur, comitati fuerint, & pro eiſdem Infirmis pias ad Deum preces effuderint, quinque annos, & totidem quadragenas; Qui vero corpora defunctorū tam Confratrum, quàm Consororum, quam aliorum ad ſepulturam aſſociauerint, & pro eorum animabus Deum orauerint, centū dies: Quoties vero prædicti Confratres, & Consorores officium eiuſdem Beatæ Mariæ Virginis deuotè recitauerint, centum dies: Qui vero Miſſis, & alijs diuinis Officijs in Eccleſia, vel Cappella, aut Oratorio dictæ Confraternitatis pro tempore celebrandis recitauerint, ſeu Congregationibus publicis, vel priuatis eiuſdem Confraternitatis vbiuis faciendis interfuerint, aut pauperes hoſpitio ſuſceperint, aut eis in eorum neceſſitatibus, vel periculo peccandi exiſtentibus auxiliati fuerint, aut eleemoſynas temporales, vel ſpirituales eis dederint, vel pacem cum inimicis proprijs, vel alienis compoſuerint, ſeu componi fecerint, vel procurauerint, aut deuium aliquem ad viam ſalutis reduxerint, & ignorantes Dei præcepta, & ea, quæ ad ſalutem ſunt, docuerint, aut quodcunque pietatis, vel charitatis opus exercuerint,

cuerint, toties pro quolibet prædictorum piorum operum centum dies de iniunctis eis, ſeu alias quomodolibet debitis pœnitentijs in forma Eccleſiæ conſueta relaxamus.

2 Ac dilecto filio nunc, & pro tempore exiſtenti Priori Generali dicti Ordinis Carmelitarum, vel, illo abſente, eius Vicario Generali, vt huiuſmodi Confraternitatem Beatæ Mariæ de Monte Carmeli vbiuis locorum extra Vrbem erigere, & inſtituere, illiſq; omnes ſupradictas Indulgẽtias, & gratias ſpirituales (ſeruata tamen forma præſcripta in conſtitutione fœl. record. Clementis Prædeceſſoris ſuper dictarum Confraternitatum aggregationibus,& inſtitutionibus ædita) communicare ſimiliter liberè, & licitè poſſit, & valeat authoritate Apoſtolica tenore præſentium facultatem concedimus, & impartimur. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſq; contrarijs quibuſcunque. Præſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 30. Octobris 1606. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

M. Veſtrius Barbianus.

Confirmatio prohibitionis tranſitus ad Fratres B. Mariæ de Mercede, & alios Ordines.

S V M M A R I V M.

1 *Summus Pontifex confirmans Breue Clementis VIII. & aliorum ſtatuit eos, qui ad Ordinem B. Mariæ de Mercede tranſierunt, compelli debere, vt reuertantur.*

2 *Fratribus B. Mariæ de Mercede præcipit reſtitutionem eorum, qui ad ipſos tranſierunt.*

M PAV-

PAVLVS PAPA V. Ad futuram rei memoriam.

CVm ſicut accepimus, licet à Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris Fratribus Ordinis Beatæ Mariæ Carmelitarum nomine Diſcalceatorũ prohibitum fuerit ſub cenſuris & alijs pœnis, ne abſque Sedis Apoſtolicæ licentia ad alios Ordines etiam paris Regulæ, & obſeruantiæ, (Carthuſienſium dumtaxat excepto) tranſirent, & ſpecialiter fœl. rec. Clemens Papa VIII. Prædeceſſor noſter per ſuas in ſimili forma Breuis literas ſtatuerit, & ordinauerit, quòd extunc in futurũ nullus dictorum Fratrum Carmelitarum Diſcalceatorum in Ordine Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum abſque dictæ Sedis licentia recipi poſſet, irritum & inane dècernens quicquid ſecus deſuper à quoquam quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nihilominus de præſenti anno nonnulli Fratres Carmelitani Diſcalceati ſibi forſan perſuadentes indultum fuiſſe dicto Ordini Beatæ Mariæ de Mercede, & illius Fratribus vt ratione quarti voti, cuiuſuis alterius Religionis profeſſos in eorum Ordine recipere poſſint, ad eundem Ordinem Beatæ Mariæ de Mercede tranſierunt, & recepti ibidem permanere, ac Superiores dicti Ordinis Beatæ Mariæ eoſdem retinere intendunt, non ſine magno etiam ſæcularium ſcandalo.

1 Nos pro noſtro Paſtoralis officij debito, animaduertentes etiã quòd ex tranſitu huiuſmodi grauis in dicto Ordine Beatæ Mariæ Carmelitarũ Fratrũ inquietudo ſequutura ſit, cum multi ex illius Fratribus ad dictum Ordinem Beatæ Mariæ de Mercede declinent: Idcirco ſcandalis & inquietudini prædictis quantum in Domino poſſumus, obuiare volentes; necnon dictarum literarum tenores præſentibus pro expreſſis habentes ſupplicationibus dilectorum filiorum Præpoſiti Generalis, & Fratrũ dicti Ordinis Beatæ Mariæ Carmelitarum Diſcalceatorum nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati. De Venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium negocijs Epiſcoporum, & Regularium præpoſitorũ conſilio, authoritate Apoſtolica tenore præſentium ſtatuimus, & ordinamus Fratres Carmelitas Diſcalceatos, qui abſque peculiari dictæ Sedis licentia poſt publicationem dictarum literarum Clementis Prædeceſſoris ad Fratres Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum tranſierunt, debitis iuris, & facti remedijs cogi, & compelli poſſe, & debere, vt ad primodictum eorum Ordinem redeant.

Ac

Digitized by Google

2 Ac dilectum filium Miniſtrum Generalem, ac Fratres dicti Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede teneri, eoſdem Fratres à ſe receptos omninò, & cum effectu nulla interpoſita mora reſtituere, ſicq; ab omnibus inuiolabiliter obſeruari volumus, & ita per quoſcunque Iudices ordinarios, & delegatos quauis authoritate fungentes, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate iudicari, & diffiniri debere: ac irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Quocirca Venerabilibus fratribus Toletañ. & Hiſpaleñ. Archiepiſcopis, & dilecto filio noſtro, & Sedis Apoſtolicæ in Regnis Hiſpaniarum Nuntio per præſentes committimus, & mandamus quatenus ipſi, vel duo, aut vnus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcunque, vbi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte dictorum Fratrum Ordinis Beatæ Mariæ Carmelitarũ Diſcalceatorum deſuper fuerint requiſiti ſolenniter publicantes illas executioni demandent, Contradictores quoſlibet, & rebelles, ac præmiſſis non parentes per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas aliaq; opportuna iuris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo; necnon legitimis ſuper his habendis ſeruatis proceſſibus & cenſuras, & pœnas ipſas etiam iteratis vicibus aggrauãdo, inuocato etiam adhoc ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis. Non obſtantibus præmiſſis, ac alijs Apoſtolicis, necnon in Prouincialibus, & Synodalibus Concilijs æditis generalibus, vel ſpecialibus, conſtitutionibus & ordinationibus, ac dictorum Ordinum Beatæ Mariæ Carmelitarum Diſcalceatorũ, & Beatæ Mariæ de Mercede, etiam iuramento confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eiſdem Ordinibus, illorumq; Superioribus, & perſonis, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cũ quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsq; efficacioribus, & inſolitis clauſulis irritantibusque, & alijs decretis in genere, vel in ſpecie, etiã Motu proprio, ac aliàs quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumq; totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpeciali-

M 2 ter,

ter, & expreſsè derogamus contrarijs quibuſcunque. Aut ſi Superioribus, & Fratribus dicti Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede prædictis, vel quibuſuis alijs communiter aut diuiſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excõmunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem. Cæterum quia difficile foret earundem præſentium literarum notitiam ad quaſcunque perſonas peruenire, & vbique illas præſentare, eadem authoritate volumus, & decernimus, quatenus ſumptis earundem præſentium literarũ manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica cõſtitutæ munitis, eadem fides vbique tam in iudicio, quàm extra illud adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die 20. Nouembris 1608. Pontificatus noſtri anno quarto.

Scipio Cobellutius.

Confirmatio aliquorum Breuium præcedentium.

S V M M A R I V M.

1 *Gregorius XIII. Carmelitas Diſcalceatos à Mitigatis ſeiunxit, & vnam Prouinciam Diſcalceatorum erexit.*

2 *Sixtus V. dictam Prouinciam in plures diuiſit, & ex illis vnam Congregationem Diſcalceatorum inſtituit.*

3 *Idem Sixtus probibuit tranſitum ad Mitigatos, & alios Ordines præterquàm Carthuſianorum.*

4 *Clemens VIII. à ſolutione quartæ funeralis Diſcalceatos exemit.*

5 A Mi-

Digitized by Google

5 *A Mitigatis in totum ſegregauit, Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiecit, & Præpoſitum Generalem inſtituit.*
6 *Congregationem Italiæ à Congregatione Hiſpaniæ ſeparauit, & ſibi immediatè ſubiecit.*
7 *Eandem Congregationem vnum eſſe ex quatuor Ordinibus Mendicantium declarauit.*
8 *Ad Proceſſiones non poſſe compelli decreuit.*
9 *Paulus V. confirmat omnia à prædictis ſuis Prædeceſſoribus conceſſa.*
10 *Congregationi Hiſpaniarum dat facultatem condendi Hoſpitium in Vrbe.*

PAVLVS PAPA V. Ad perpetuam rei memoriam.

DEcet Romanum Pontificem in ſupremo militantis Eccleſiæ ſolio à Domino conſtitutum, ea quæ à ſe, ſuiſq; Prædeceſſoribus pro Sacrarum Religionum, & Congregationum quarumlibet in eiuſdem Militantis Eccleſiæ agro ad diuinæ Maieſtatis gloriam, carnis mortificationem, orationis inſtantiam, animarumq; ſalutem, & ſpiritualem conſolationem inſtitutarum, ac perſonarum illis adſcriptarũ ſtabilitate, & fœlici directione prouidè facta, & ordinata fuiſſe noſcuntur, vt perpetuò firma, & illibata perſiſtant, ac perſonæ religioſæ huiuſmodi in pacis, & quietis ſuauitate vota ſua Altiſſimo perſoluere, & in illis perſiſtere, fructuſq; in ipſa Eccleſia vberiores proferre valeant, ne dum approbationis ſuæ præſidio communire, ſed etiam aliqua ex eis temporis ſucceſſu ex apparentibus cauſis labefactata, reparare, ac alias in his prouidentiæ ſuæ partes fauorabiliter interponere, prout Catholicorum Regum vota, ac Religionum, & Congregationum huiuſmodi merita id expoſcunt, rerumq; vſus, & euentus docuerint ſalubriter expedire.

1 Dudum ſiquidem, poſtquam nonnullos Religioſos Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmeli in Regnis Hiſpaniarum exiſtentes diuina inſpirante gratia, ac conſilio, hortatu, & exemplo, ac directione ſuis, bo. mem. Virgo Tereſia à IESV olim dicti Ordinis Monialis, tunc vero etiam ipſius Monialium Reformatrix, ad obſeruantiam primitiuæ Regulæ dicti Ordinis à bo. mem. Alberto Patriarcha Hieroſolymitano ipſi Ordini præſcriptæ, ac per fœl. rec. Innocentium Papam IIII. Prædeceſſorem noſtrum confirmatæ reduxerat, eorumq; numerus ita excreuerat, vt tunc

tunc viginti duæ Domus Fratrum,& Monialium ipſius Ordinis in prædictis Regnis reperirentur piæ mem. Gregorius XIII. etiam Prædeceſſor noſter ad cla. mem. Philippi II. Hiſpaniarum Regis Catholici tunc in humanis agentis inſtantiam, habita prius cum S. R. E. Cardinalibus ſuper negocijs Regularium deputatis, matura deliberatione, prædictos Fratres, & Moniales; primitiuam Regulam ſic obſeruantes,eorumq; Domus, Conuentus, Monaſteria, & loca tunc, & pro tempore exiſtentia à Prouincijs Fratrum, & Monialium, ſub mitiori Regula, & obſeruantia eiuſdem Ordinis ex indulto Apoſtolico viuentium (mitigatorum nuncupatorum) penitus,& omninò in perpetuũ ſeiunxit,& ſeparauit,eorumq; Domus, Monaſteria, & loca quæcunque & hactenus erecta, & inſtituta ac ex tunc in futurum erigenda, & inſtituenda, in vnam Prouinciam Diſcalceatorum nuncupandam per vnum Priorem Prouincialem, qui in Capitulo ipſius Prouinciæ ex eiſdem Diſcalceatis eligi deberet,regendam, & gubernandam, etiam perpetuò erexit, & inſtituit.

2 Deinde rec. mem. Sixto Papæ Quinto, ſimiliter Prædeceſſori noſtro pro parte eiuſdem Philippi Regis expoſito, quod numerus Fratrum, & Monialium Diſcalceatorum huiuſmodi nõ mediocriter auctus erat,ac in dies maiora, benedicente Domino,ſuſcipiebat incrementa, & non modo per vniuerſam ferè Hiſpaniam; ſed etiam in Indijs, quamplura Monaſteria, & Domus, aliaq; regularia loca Diſcalceatorum huiuſmodi inſtituta fuerant, & illa omnia per vnum Priorem Prouincialem non ita commodè regi poterant, dictus Sixtus Prædeceſſor, habita deſuper cum dictis Cardinalibus matura deliberatione, Prouinciam ipſam, quæ hactenus fuerat Diſcalceatorum, prout Domorum, & Monaſteriorum numerus, ac locorum opportunitas ſuaderet, ac alias videretur expedire, in plures partes, & regiones, ſub certis modo, & forma diſtingui, & diuidi mandauit, eaſq; ſic diſtinguendas, & diuidendas in ſingulas Prouincias, vniuerſas vero Prouincias in vnam Congregationem omnium huiuſmodi Prouinciarum (Diſcalceatorũ nuncupandam) ſimiliter perpetuò erexit, & inſtituit; ac Vicario Generali pro tempore exiſtenti Monaſteria, Domus, & Conuentus, tàm Virorum quàm Mulierum eiuſdem Congregationis in quibuſuis locis, cuiuſlibet licentia deſuper minime requiſita, etiam ſine conſenſu Generalis Capituli totius Congregationis erigendi, ſeu conſtrui, & ædificari faciendi, & conſtructa ad inhabitandum recipiendi, plenam, & liberam facultatem conceſſit, & impartitus fuit.

3 Ac inter cætera Motu proprio,& ex certa ſcientia, ac de Apoſtoli-

Digitized by Google

cæ poteſtatis plenitudine per ſuam perpetuò valituram conſtitutionem ſtatuit, & ordinauit, quod nullus omninò ipſorum Fratrum Diſcalceatorum abſque ſpeciali pro tempore exiſtentis Rom. Pont. licentia, de dicta conſtitutione, eiusq; data expreſſam, indiuiduam, ac de verbo ad verbum mentionem faciente, ac ex legitima, & vrgenti cauſa prius à prædictis Cardinalibus pro tempore deputatis diligenter examinata, & approbata ad Fratres Mitigatos prædictos eorumq; ſeu quemcunque alium Ordinē, etiam paris Regulæ obſeruantiæ (Carthuſienſi dumtaxat excepto) tranſire, ſeu ad ſæculum redire, vel aliàs à dicta Congregatione ſe ſubtrahere, aut illam exire valerent, & ſi eorum quiſpiam ſecus faceret, apoſtaſiæ, & perpetuæ infamiæ notam, necnon tam Superiores, & Fratres dictæ Congregationis, qui habitum Fratrum Diſcalceatorum huiuſmodi quibuſuis perſonis non ſeruata forma ad id conſcripta conferrent, necnon Eremitæ, & cæteri omnes ſiue alterius Ordinis Fratres, ſeu ſæculares, ac etiam huius Congregationis qui extra eam, illiusq; Superiorum curam, & obedientiam degentes ſcapulario, & cuculla etiam ſine pallio, quo ipſi Fratres Diſcalceati itinerantes ſæpè non vtebantur, more eorundem Diſcalceatorum vti, aut aliàs eorum habitum, vel illi ita conſimilē, vt propter eum Fratres eiuſdem Congregationis credi poſſent, deferre, & geſtare præſumerent, ac etiam illi ex dictis Fratribus Diſcalceatis, qui licentiam ad alium Ordinem tranſeundi à Sede prædicta, vt præfertur obtinuiſſent, & ea vti vellent, niſi infra quindecim dies ex tunc immediatè ſequentes habitum, ſeu ſaltem pallium, & ſcapulare huiuſmodi realiter dimiſiſſent, excommunicationis latæ ſententiæ pœnam eo ipſo incurrerent, à qua per alium quam Romanum Pontificem, vel dictæ Congregationis Priorem Prouincialem pro tempore exiſtentem, vel ab eo deputatum, excepto mortis articulo, ſi illos in illo decedere contigerit, abſolui nequirent, & quæuis licentia deſuper à dicta Sede aliàs, vt præfertur obtenta nulla, & ſubreptitia cenſeretur, nec cuiquam nullatenus ſuffragaretur, & nihilominus Prior Prouincialis, & alij Superiores dictæ Congregationis, necnon locorum Ordinarij, ac Eccleſiarum Prælati, & Rectores eorumq; Vicarij, & Officiales per ſe, vel alium, ſeu alios habitum, & ſeu pallium, ac ſcapulare ab eis detrahere, & tàm ipſos quàm omnes, & ſingulos dictæ Congregationis apoſtatas, & transfugas, & etiam eos qui abſque ſpeciali Romani Pontificis, modo, & forma prædictis obtinenda ab ipſa Cōgregatione deficerent, in quocunque habitu reperirentur excommunicatos declarare, & incarcerare, ac in illos ſeuerè animaduertere,

uertere,

Digitized by Google

uertere, auxiliumq; brachij ſæcularis, ſi opus foret, inuocare liberè, & licitè poſſent.

4 Succeſſiuè rec. mem. Clemens Papa VIII. pariter Prædeceſſor noſter Congregationem Diſcalceatorum huiuſmodi, eiuſq; Conuentus, Collegia, Cœnobia, & Fratres vniuerſos tanquam Carmeliticæ Religionis profeſſores à ſolutione quartæ funeralis, quam aliqui Parochialium Eccleſiarum Rectores ſibi ex omnibus cadaueribus, quæ de ſuis Parochijs ad ipſorum Fratrum Eccleſias ibi ſepelienda deferebantur ſibi iure deberi prætendebant, minimè teneri decreuit.

5 Inſuper Motu proprio,& ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, prædictum Vicarium Generalem,ac omnes, & ſingulas perſonas dictæ Congregationis Diſcalceatorum, illiuſq; Conuentus, Domus, Collegia, & Prouincias, tàm Virorum, quàm Mulierum, ab omni ſuperioritate, iuriſdictione, gubernio, regimine, adminiſtratione, ſubiectione, obedientia, viſitatione, correctione, & emendatione tàm Generalis Ordinis Carmelitarum,quàm aliorum Prælatorum, & Superiorum quacunq; authoritate fungentiũ, & functurorum, etiam quantumuis ampliſſimis priuilegijs, & facultatibus vtentium, & vſurorum perpetuò exemit, & liberauit, itaut dictus Prior Generalis, aut alij Superiores dicti vniuerſi Ordinis Carmelitarum tunc, & pro tempore exiſtentes, nullam omnino iuriſdictionem, facultatem, & authoritatem in dictam Congregationem Diſcalceatorum, illiuſq; Vicarium Generalem, ac Conuentus,Domos, Collegia, & Prouincias, tàm Virorum,quàm Mulierum habere, exercere, aut prætendere aliquo tẽpore poſſent, minuſq; in rebus, & negotijs eiuſdem Congregationis aliquo pacto ſe ingerere,aut immiſcere valerent, ipſamq; Congregationẽ Diſcalceatorum, eiuſq; Vicarium Generalem,necnon Conuentus,Domos,Collegia,& Prouincias huiuſmodi ſub ſua,& dictæ Sedis immediata protectione, ſubiectione, gubernatione,& obedientia recepit, & ſubiecit,ac quòd ille, qui Vicarius antea vocabatur, de cętero Præpoſitus Generalis Ordinis Fratrum Carmelitarum Diſcalceatorum, ſiue primitiuorum nominari, ac eandem facultatem, quàm dictus Sixtus Prædeceſſor Vicario Generali prædicto conceſſerat,habere deberet, ac plures prouincias inſtituere, Domoſq; & Conuentus Diſcalceatorum prædictorum vbiq; terrarum erigere poſſet, ſtatuit, & ordinauit.

6 Præterea ſupplicationibus Venerabilis Fratris noſtri Dominici Epiſcopi Oſtien. tunc tituli Sancti Griſogoni Presbyteri Cardinalis Pinelli

nelli nuncupati totius Ordinis prædicti apud dictam Sedem Protectoris in ea parte tunc inclinatus, in Eccleſia Sanctæ Mariæ de Scala nuncupata Regionis Trãſtyberim de Vrbe, vnam domum dictorum Fratrũ Carmelitarum Diſcalceatorum, ab ipſa tamen Congregatione ſeparatã, & diuiſam inſtituiſſet, illamq; nec non duo alia in Ciuitate Ianuen. fundata Monaſteria, vnum, videlicet Monialium de Ieſu Maria, alterum vero Collegium nuncupatum Sanctæ Annę Fratrum dicti Ordinis Carmelitarum Diſcalceatorum inuicẽ vniuiſſet, & incorporaſſet, illaq; ſic vnita cum omnibus iuribus, & pertinentijs ſuis ab omni ſubiectione & obedientia, ſuperioritate, & dependentia Præpoſiti Generalis, & Conſultæ, ac cęterorum Religioſorum prædictæ Congregationis Hiſpaniarum etiam perpetuo exemiſſet, & ſegregaſſet, ita vt ipſa Congregatio in illa nullam haberet iuriſdictionem, aut ſuperioritatem, neq; in Capitulis, electionibus, aut alijs quibuſcunq; actibus tàm publicis, quàm priuatis Fratres dictæ Congregationis in Monaſterio Beatæ Mariæ de Scala, & Monaſterio Sanctæ Annæ, nec viciſſim illorum Fratres in Cõgregatione huiuſmodi vocem actiuam, aut paſſiuam haberent, aut aliquo modo ſeſe intromittere poſſent. Inſuper ſtatuiſſet, & ordinauiſſet ac etiam in virtute ſanctæ obedientiæ præcepiſſet, & mandauiſſet, vt nullus Religioſorum Congregationis, ſeu Domus B. Mariæ de Scala, & Monaſterij ſanctæ Annæ huiuſmodi per ſe, vel interpoſitam perſonã, ſe viciſſim aliquo modo perturbare, moleſtare, aut inquietare, ac in illorum viſitationem, & correctionem huiuſmodi quoquo modo intromittere, ſeu alia quæ ad iuriſdictionem, vel ſuperioritatem aliquam attinebant, attentare, neq; etiam Religioſi Domus Beatæ Mariæ de Scala, & Monaſterij Sanctæ Annæ huiuſmodi negotia dictæ Religionis Hiſpaniæ, illiusvè Prouinciarum, Conuentuum, aut ſingularum perſonarum in Romana Curia per ſe, vel alios ſine licentia Præpoſiti Generalis, & Diffinitorum, ſeu Conſultæ Religionis Hiſpaniarum huiuſmodi tractare, aut Religioſos eiuſdem Religionis Hiſpaniarum ſine huiuſmodi licentia illuc venientes in eorum Domibus recipere poſſent, idem Clemens Prædeceſſor, motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus tã ex Beatæ Mariæ de Scala, & Monaſterio Sanctæ Annæ huiuſmodi, quã quibuſcunq; alijs Domibus, Monaſterijs, & Conuentibus dictorum Fratrum Diſcalceatorum in Italia hactenus erectis, ac in poſterum in ipſa Italia, & quibuſuis alijs præter Hiſpaniarum, locis, & Regnis eligendis vnam Congregationem Fratrum Diſcalceatorum dicti Ordinis

Beatæ Mariæ de Monte Carmeli à prædicta Hiſpaniarum, & quibuſcunq; alijs eiuſdem Ordinis Congregationibus, ſeu Prouincijs illarũq; Superioribus,& Fratribus prorſus diſtinctam,& ſeparatam,dictæq; Sedi immediatè ſubiectam ab vno Præpoſito, cum Diffinitorum interuentu, iuxta regularia dicti Ordinis ſtatuta regendam, & gubernandam etiam perpetuo erexit, & inſtituit, & pro maiori huius inſtituti conſeruatione aliquem etiam Diſcalceatorum Congregationis Hiſpaniæ, aut ab alia quacunq; Religione apoſtatam, fugitiuum,vel expulſum in ipſa Congregatione Italiæ recipi poſſe prohibuit: ſi ſecus ſcienter,vel ignoranter fieri contigerit, receptionem, & admiſſionem huiuſmodi nullius roboris, vel momenti fore decreuit.

7 Præterea Religionem,& Congregationem Fratrum Diſcalceatorũ huiuſmodi vnũ ex quatuor Ordinibus Mendicantibus,videlicet Carmelitarum, qui primitiuam eius regulam profitebãtur, & obſeruabãt,eſſe, ipſiq; omnia ad Ordinem Fratrum Carmelitarum huiuſmodi tàm de iure, quã ex priuilegijs pertinẽtia tanquã propria competere declarauit; & eum qui contradicere præſumeret,anathematis vinculo innodauit.

8 Inſuper Religioſos Ordinis Fratrum Diſcalceatorum huiuſmodi tanquam in ſtrictiori clauſura perpetuo iuxta regulam prædictam degentes ad Proceſſiones Generales accedere nullatenus teneri, neq; ad id compelli vnquam poſſe, licetq; ipſi tanquam Euangelicæ humilitatis æmulatores conſilium Dominicum ſectando, infimum locum tàm in Proceſſionibus, quã in Congregationibus,& alijs quibuſcunq; euẽtibus aliquando elegiſſent, ſeu eligerent, & ob ædificationem fidelium, maximè ad fidem Catholicam conuerſorum propriæ quieti cedentes, ad Proceſſionem tàm priuatas, quàm generales exiuiſſent,vel in futuro exirent, nullo propterea temporis decurſu, aut alio præſcriptionis modo, locum, ſeu præeminentiam, aut aliam prærogatiuam dicti Ordinis Fratrũ Carmelitarũ competentẽ in totũ, vel parte perdere declarauit.

9 Poſtmodum verò Nos ad ſummi Apoſtolatus apicem diuina prouidentia aſſumpti, ſtatutum, ordinationem,& prohibitionem Clementis Prædeceſſoris huiuſmodi in quibuſcunq; Hiſpaniarum, Galliarum, & Italiæ Regnis, ac deniq; totius Chriſtiani Orbis Prouincijs,in quibus Religio, ſeu Congregatio Fratrum Diſcalceatorum huiuſmodi ſuæ primitiuæ Regulæ Monaſteria fundata habebat, vel Deo dante fundaret, vtpote quæ in totius Religionis,non autem vnius Prouinciæ fauorem conceſſa fuerant, obſeruari, ac pro illis conceſſa cenſeri, & intelligi debere

bere voluimus, & declarauimus, præcipiendo ſub eiſdem cenſuris, & alijs pęnis tunc præſcriptis omnibus, & ſingulis ad quos ſpectabat, & ſpectaret in futurum, vt illa vbiq; locorum, & gentium obſeruarent, & obſeruari curarēt; ac pro potiori cautela Ordinem Fratrum Carmelitarum Diſcalceatorum huiuſmodi vnum ex quatuor Ordinibus Mendicātium eſſe, eiuſq; Religioſis in quibuſuis locis, Proceſſionibus, Congregationibus, Comitijs, & alijs euentibus, quibus eos cum aliorum Ordinum Religioſis conuenire, & congregari cōtingeret, locum eidem Religioni Fratrum Carmelitarum debitum, & conſuetum, dari, & conſignari debere, & ſi aliquando alicubi propter humilitatem Religionis reliquiſſent, ſeu relinqu erēt, infimum eligentes, priſtinum tamen locum huiuſmodi quoties vellent, propria authoritate repetere poſſe, & valere, nec ipſos ad Proceſſiones generales, & publicas accedere compelli poſſe declarauimus, prout in diuerſis ſingulorum Prædeceſſorum, ac noſtris deſuper confectis literis plenius continetur. Cum autem, ſicut Chariſſimus in Chriſto filius noſter Philippus III. Hiſpaniarum Rex Catholicus, tàm ſuo quàm Præpoſiti Generalis, & aliorum Superiorum Ord. Fratrum Carmelitarum Diſcalceatorū Congregationis Hiſpaniæ (vbi reformatio prædicti Ordinis, vt dictum eſt, originem ſumpſit) huiuſmodi nominibus nuper exponi fecit, ea ſit rerum humanarum conditio, vt etiam ea quæ à prædicta Sede matura, & prouida deliberatione ſtatuuntur, & ordinantur, niſi ſæpius renouentur, & legum pœnis fulciantur, temporis iniuria, & aliquorum improbitate negligātur, ſeu deprauentur, aut modo aliquo infringantur, vel in deſuetudinem labantur, & iam experientia comprobatum ſit, quod ſeparatione Congregationum huiuſmodi, & alijs præmiſſis non obſtantibus nōnulli Religioſi Congregationis Hiſpaniæ mētis inquietudine, ſeu leuitate ducti, vel correptionem, aut correctionem exceſſuum, & delictorum ab eis commiſſorum metuentes, ab illa Cōgregatione ad iſtam Italicam, quinimo ad alium, vel alios Ordines varijs prætextibus tranſire præſumāt, & exinde pax, & tranquillitas, ac diſciplinæ regularis obſeruantia nō parum perturbetur. Quare idem Philippus Rex pro ſingulari eius erga Religionem Fratrum Diſcalceatorū huiuſmodi pietate, & deuotione, ſibi hæreditario iure quaſi per manus ſuorum Progenitorum tradita, nominibus prædictis nobis humiliter ſupplicari fecit, quatenus ſingulis literis prędictis, ac in eis contentis, cęteriſq; priuilegijs, & gratijs Religioni Fratrum Diſcalceatorū, illiuſq; Congregationibus quomodoli-

bet conceſſis, vt illa eo firmius ſubſiſtant, & obſeruentur, quò ſæpius Apoſtolico præſidio communita fuerint, ipſiq; Fratres Diſcalceati Sanctorum Prophetarum Eliæ, & Eliſei veſtigijs ſedulo inſiſtentes, vtrumq; ſui inſtituti finem priorem videlicet & potiorem in ieiunijs, orationibus, diuinæq; legis meditatione, & contemplatione, per quam arcana illa vnio reſultat, & anima Deo ſociatur, aſſiduè verſantem; poſteriorem verò, & minus principalem, ſine tamen prioris iactura, in proximorū ſalute verbo, & exemplo procuranda conſiſtentem feliciter, & tranquillè proſequi valeant, robur noſtræ approbationis adijcere, ac aliàs in præmiſſis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur qui dicti Ordinis decorem, & ſalubrem directionem, ac laudabilis, & ſalutaris ſui inſtituti votiuum progreſſum intentis deſiderijs affectamus; huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, Apoſtolica authoritate tenore præſentium ſingulas literas prædictas, tàm quoad directiones, & inſtitutiones Congregationum, & Prouinciarum huiuſmodi, illarumq; ad inuicem ſeparationes, diuiſiones, diſtinctiones, & ſegregationes, quàm alia in eis contenta quæcunq; necnon cætera omnia, & ſingula priuilegia, immunitates, exemptiones, libertates, prærogatiuas, facultates, conſeruatorias, gratias, & indulta, tàm ſpiritualia, quàm temporalia Religioni Fratrum Carmelitarum Diſcalceatorum, illiuſq; Congregationibus, Eccleſijs, Monaſterijs, Domibus, Locis, Præpoſitis, Superioribus, Conuētibus, & perſonis vtriuſq; ſexus etiam laicis, etiam per modum extenſionis, & communicationis inter ſe, & cum alijs quibuſcunq; Ordinibus Mendicantibus, & non Mendicantibus per prędictos, & quoſcunq; alios Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac nos, dictamq; Sedem ſub quacunque verborum forma, & expreſſione, etiam per ſolam ſignaturam, ſeu viuæ vocis oraculo, aut alias quomodolibet etiam iteratis vicibus conceſſa, approbata, innouata, & extenſa cum omnibus, & ſingulis in eis contentis declarationibus, decretis, clauſulis, cautelis, in his omnibus, quæ primitiuæ Regulæ dicti Ordinis Fratrum Carmelitarum, & eius inſtitutis, ac Conc. Trid. decretis non aduerſantur, dummodo ſint in vſu, & Apoſtolicis Conſtitutionibus non contraria, neque reuocata, aut ſub aliquibus reuocationibus comprehenſa, perpetuo approbamus, confirmamus, & pręſentis reſcripti patrocinio cōmunimus, ac illis perpetuæ, & inuiolabilis firmitatis robur adijcimus, omneſq; & ſingulos tàm iuris, quàm facti, ac ſolemnitatum etiam quantumuis ſubſtantialium, etiam de neceſſitate, aut aliàs quomodo-

modolibet requiſitarum defectus, ſi qui interuenerint in eiſdem, & ſi tales ſint, vel fuerint, quòd ſub generali ſermone non veniant, ſed nota, & expreſſione ſpeciali indigeant, ſupplemus. Et nihilominus pro potioris cautelæ ſuffragio, authoritate, & tenore præſentis Congregationes, & Prouincias Fratrum Carmelitarum Diſcalceatorum Hiſpaniæ, & Italiæ huiuſmodi, modo, & forma præmiſſis ab inuicem, itaut vna in alteram, & è contra nullam iuriſdictionem, ſuperioritatem, aut actionē habeat, nec Superiores, ac Religioſi vnius ex Congregationibus huiuſmodi in Capitulis, electionibus, aut alijs quibuſcunq; actibus, tàm publicis, quàm priuatis alterius Congregationis aliquo modo ſe intromittant, ipſiq; inuicem diſtincti exiſtant, perinde ac ſi diuerſas regulas profiterentur, ac habitu, indumentis, legibus, & inſtitutis diſſimilibus vterentur, nec Religioſi dictæ Congregationis Italiæ vllo modo negotia Religionis Hiſpaniæ, illiuſq; Prouinciarum, Conuentuum, & ſingularum perſonarum in hac Romana Curia per ſe, vel alios directè, vel indirectè tractare, aut Religioſos eiuſdem Ordinis Hiſpaniarum ad hāc Vrbem accedentes, vbi videlicet propria habent Hoſpitia, in eorum domibus ſub priuatis ſuorum officiorum, & munerum pœna, recipere valeant, idemq; viciſſim per Religioſos eiuſdem Ordinis Hiſpaniarum obſeruari debeat, etiam perpetuò diuidimus, diſtinguimus, & ſegregamus, eaſq; prædictæ Sedi immediatè ſubijcimus, ac omnia, & ſingula alia in ſingulis literis prædictis comprehenſa, iuxta illarum formam, normam, continentiam, & tenorem concedimus, & innouamus. Inſuper vt prædictis Religioſis Diſcalceatis à ſui inſtituti præſcripto diſcedendi, & vagandi via per amplius præcludatur, ſtatuimus, & ordinamus, ac in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictè præcipimus, vt nullus ex ipſis de vna in alteram Congregationem huiuſmodi tranſire, recipi, & admitti valeat, & ſi ſecus ſcienter, vel ignoranter fieri contigerit, tranſitus, ac receptio, & admiſſio huiuſmodi nullius valoris, & momenti cenſeatur, ipſeq; ſic tranſiens, ſeu receptus ad propriam Congregationem reſtituatur; ſed nec vllus eorundem Fratrum Diſcalceatorum poſt emiſſam ab eo in prædicto Ordine profeſſionē regularem, abſq; ſpeciali pro tempore exiſtentis Romani Pontificis licentia de præſentibus, earumq; data expreſſam, indiuiduam, ac de verbo ad verbum mentionem faciente, ac ex legitima, & vrgenti cauſa prius à prędictis Cardinalibus ſuper Regulariū reformatione, & viſitatione deputatis diligenter examinata, & approbata ad alium quemcunq; Ordinem Mendicantium, & non Mendicantium,

cantium, Monachalium, ſeu Diſcalceatorum, aut quamcunque Religionum erectarum, vel erigendarum, etiam emiſſionis quarti voti, ſeu perfectioris, & humilioris vitæ præſumptione, aut ſtrictioris Regulæ, ſeu obſeruantiæ prætextu, vel contemplatione, aut alia quantumuis iuſta, & probabili, aut legitima cauſa, ſub apoſtaſiæ, & infamiæ perpetuæ nota, ac excommunicationis latæ ſententiæ pœna ipſo facto per contrauenientes incurrenda, ſe transferre audeat, ſeu præſumat, excepto dumtaxat Ordine Fratrum Carthuſianorum, quatenus ad illum tranſeundi licentiã à ſuis Superioribus petierint, & obtinuerint, & quicunque ſecus fecerit, cum primum deſuper monitus fuerit, nulla mora, aut excuſatione, ſeu forenſi contentione, vel appellatione interpoſitis ad propriã ſuam Congregationem redire, ac Superiorum ſuorum correctioni ſe ſubmittere teneantur; nec Prælati dictarum Congregationum, ac aliorum Ordinum, & Religionum huiuſmodi ipſos ſic tranſlatos, ſeu fugitiuos, & apoſtatas retinere, ſed eos etiam ſi nouam profeſſionem regularem emiſerint, ſub priuationis ſuorum officiorum, & munerum, ac ſimilis excommunicationis pœnis ſuis Superioribus, vel ab eis deputatis id requirentibus, & petentibus, ſtatim abſque Iudicis miniſterio tradere, & conſignare debeãt.

10 Poſtremò, dicti Ordinis Fratrum Diſcalceatorum Hiſpaniarum Procuratori Generali in prædicta Vrbe reſidenti vnam domũ Hoſpitium nuncupandam in quacunque ipſius Vrbis Regione ad vſum, & habitationem eiuſdem Procuratoris Generalis, ſuorumq; Sociorum decentem, & congruam, in qua etiam alij dictæ Religionis Hiſpaniæ Religioſi ad prædictam Vrbem pro tempore confluentes Hoſpitio excipi, & ad tempus eidem Procuratori Generali beneuiſum confoueri, ac debita clauſura, ſub pœnis à Sacris Canonibus ſeruari, ipſiusq; Ordinis Hiſpaniæ fugitiui, & apoſtatæ ſi qui in ipſa Vrbe reperiantur, reduci, corrigi, & in carcerem etiam perpetuum nobis, vel Romanis Pontificibus pro tempore, aut ſaltem eiuſdem Ordinis apud nos, & Sedem Apoſtolicam Protectore conſulto, ſi opus fuerit detineri, nec quiſquam ex dictis Fratribus Diſcalceatis ibidem receptus, inde ſine eiuſdem Procuratoris, aut alterius Domus Superioris pro tempore exiſtentis expreſſa licentia egredi; nec mulieres cuiuſcunque conditionis fuerint, in quacunque illius parte introduci poſſint, perinde ac ſi in ipſa domo Hoſpitij Conuentus formatus Religioſorum Diſcalceatorum huiuſmodi inſtitutus foret, cum Oratorio, ſeu ſacello in aliquo intimo, & conuenienti eiuſdem Hoſpitij loco ad id decenter accommodando, & à Vicario Vrbis approbando, in quo

Miſſæ

Digitized by Google

Miſſæ ſacrificium peragi,& ſi quatuor ad minus Sacerdotes inibi reſederint ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum aſſeruari valeat, fundandi, erigendi, & inſtituendi plenam, & liberam licentiam, & facultatem impartimur. Decernentes Præpoſitum Generalem, ac alios Superiores, & Religioſos prædicti Ordinis Diſcalceatorum, vel alios quoſcunque ad ſuperius narrata in toto, vel parte probañ, ſeu verificañ, nullatenus teneri, ſed ſolam narratiuam prædictam ſufficere, eiq; in iudicio, & extra ſtari debere, nec alterius probationis, ſeu verificationis adminiculũ requiri, necnon præſentes literas, & in eis contenta quæcunque nullo vnquam tempore, etiam ex eo quod intereſſe habentes ad id vocati nõ fuerint, ſeu quouis alio prætextu, & ex quacunque cauſſa quantumuis iuridica, & legitima de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu alio quouis defectu notari, impugnari, inualidari, retractari, in ius, vel controuerſiam reuocari, aut quodcunque iuris, facti, vel gratiæ remedium aduerſus illa impetrari, ſeu etiam Motu proprio concedi, nec ſub quibuſuis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum reuocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, derogationibus, aut alijs contrarijs diſpoſitionibus comprehendi, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum,& eum in quo antea erant, ſtatum reſtituta, repoſita, & plenariè reintegrata ac etiam ſub Dat. per Præpoſitum Generalem, & alios Superiores Ordinis Fratrum Diſcalceatorum huiuſmodi pro tempore eligenda de nouo, ac ex integro conceſſa, ſemperq; valida, & efficacia fore, & eſſe, ac perpetua roboris firmitate ſubſiſtere,atque per omnes,& ſingulos ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inuiolabiliter obſeruari, & dictæ Religioni perpetuò ſuffragari; ſicq; per quoſcunque Iudices ordinarios, vel delegatos quauis authoritate fungentes, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, & S. R. E. Cardinales,etiam de latere Legatos, dictæq; Sedis Nuncios, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate iudicari, & diffiniri debere, irritum quoque, & inane ſi ſecus ſuper his à quocunque quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quo circa omnibus noſtris, & dictæ Sedis Legatis etiam de latere, & Nuncijs vbicunque conſtitutis, necnon Archiepiſcopis Toletañ, & Hiſpaleñ, ac Epiſcopo Palentiñ pro tempore exiſtentibus, cauſarũ Curiæ Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, aut locorum quorumlibet Ordinarijs, eorumq; Officialibus, Vicarijs in ſpiritualibus, Generalibus, necnon Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Archidiaconis, Capitulis,& Canonicis Eccleſiarum,& Mona-

naſte-

naſteriorum quorumcunque, ac eorum ſingulis per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes literas, ac in eis contenta quæcunque, vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Præpoſiti Generalis, Superiorum, & aliorum Religioſorum eiuſdem Ordinis Carmelitarum Diſcalceatorum huiuſmodi, ſeu alicuius eorum fuerint requiſiti ſolenniter publicantes, eiſq; in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes faciant authoritate noſtra eaſdem præſentes literas, & in eis contenta quæcunque, necnon alia priuilegia, immunitates, exemptiones, gratias, & indulta huiuſmodi ab omnibus ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit inuiolabiliter obſeruari, ac Generalem, & alios Superiores, necnon Conuentus, & Religioſos Religionis huiuſmodi illis pacificè frui, potiri, & gaudere; non permittentes ipſos, vel quempiam eorum deſuper quomodolibet moleſtari, perturbari, vel inquietari. Contradictores quoſlibet, & rebelles per prædictas, & alias ſententias, & cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, cæteraq; opportuna iuris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, ac legitimis ſuper his habendis, ſeruatis proceſſibus, cenſuras, & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus aggrauando: inuocato etiam ad hoc auxilio brachij ſæcularis. Non obſtantibus præmiſſis, ac ſimilis memoriæ Bonifacij Octaui, etiam Prædeceſſoris noſtri, de vna, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo vltra tres dietas aliquis authoritate præſentium ad iudicium non trahatur, alijſq; Apoſtolicis, ac in ſynodalibus, prouincialibus, vel generalibus Concilijs editis, conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon Ordinum prædictorum, etiam iuramento confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apoſtolicis illis, eorumq; Superioribus, Monaſterijs, Domibus, Conuentibus, Fratribus, & perſonis per quoſcunque Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, ac nos, dictamq; Sedem, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſq; efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & alijs decretis, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus in genere, vel in ſpecie, aut alias quomodolibet, etiam pluries, & iteratis vicibus conceſſis, approbatis, innouatis, & extenſis. Quibus omnibus etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione aliàs de illis, eorumq; totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda

aut

aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda eſſet, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata inſerti forent præſentibus, pro ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, ſpecialiter, & expreſsè harum ſerie derogamus, cæteriſq; contrarijs quibuſcunque, aut ſi aliquibus communiter, vel diuiſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem. Verùm quia difficile foret præſentes literas ad ſingula quæque loca in quibus forte opus eſſet deferre, volumus, & dicta Apoſtolica authoritate decernimus, quod illarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo dicti Ordinis Fratrum Diſcalceatorum Carmelitarum, ſeu alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in Iudicio, & extra illud adhibeatur, quæ ipſis originalibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 3. Aprilis 1610. Pontificatus noſtri anno quinto.

S. Cobellutius.

Digitized by Google

Derogatio Indulti de non ædificando intra certum ſpatium propè Mendicantes ad effectum erectionis Bononieñ, & Cracouieñ.

Dilecto filio Præpoſito Generali Ordinis B. Mariæ Carmelitarum Diſcalceatorum Congregationis Italicæ.

PAVLVS PAPA QVINTVS.
Dilecte fili ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

ONeroſa Paſtoralis officij cura, meritis licet imparibus, nobis ex alto commiſſa poſtulat, vt votis illis, quæ ad Regularium locorum quorumlibet, ac perſonarum, & miniſtrorum in eis debitas laudes Altiſſimo ſub ſuaui Religionis iugo perſolueñ. propagationem tendere noſcũtur, libenter annuamus, eaq; fauoribus proſequamur opportunis. Exponi ſiquidem nobis nuper feciſti, quod pro fidei Catholicæ, & diuini cultus augumento, animarumq; Chriſtifidelium ſalute & ædificatione iuxta facultatem à Sede Apoſtolica tibi conceſſam, Domos ædificandi Regulares duas tui Ordinis Fratrum Carmelitarum Diſcalceatorum, vnam ſcilicet in Bononieñ, & alteram in Cracouieñ Ciuitatibus erigere, & inſtituere poſſe deſideras. Verùm ex quo loca ad id commoda in dictis Ciuitatibus reperire non ſperas, quæ alijs Domibus Fratrum Mendicantium vicina non ſint, & eiſdem Fratribus Mendicañ à Sede Apoſtolica indultum eſt, ne alij Regulares nouas Domos ſibi intra certum ſpatium vicinas ædificare valeant. Nobis propterea humiliter ſupplicari feciſti, vt tibi de infraſcripta licentia, aliaſq; opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur te in huiuſmodi laudabili propoſito confirmare, ac ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſq; Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quauis occaſione, vel cauſa latis, ſiquibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes huiuſmodi ſupplicationibus inclinati: Tibi, & alijs dicti tui Ordinis Superioribus, vt in Ciuitati-

bus

Digitized by Google

bus prædictis, & locis ad id decentibus, & honeſtis, etiam ſi loca huiuſmodi alijs Domibus aliorum Ordinum Mendicantium magis vicina ſint, quàm in indultis dictis Ordinibus Mendicantium, & illius Fratribus à Sede Apoſtolica, vt præfertur conceſſis, quorum tenores præſentibus haberi volumus pro expreſſis præſcriptum eſt, duas eiuſdem Ordinis Fratrum Carmelitarum Diſcalceatorum Regulares Domos, vnam videlicet in qualibet ipſarum Ciuitatum ad inſtar aliarum Domorum Regularium ipſius Ordinis Fratrum Carmelitarum Diſcalceatorum, ſeruata in omnibus dictæ facultatis forma, & non aliàs erigere, & inſtituere liberè, & licitè poſſis, & valeas, & poſſint, & valeant Apoſtolica authoritate tenore præſentium licentiam, & facultatem concedimus, & impartimur. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, & dictorum Mendicantium, & quorumuis aliorum Ordinum, etiam iuramento confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apoſtolicis illis, eorumq; Superioribus, & perſonis, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis clauſulis, & decretis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis eorum omnium, & ſingulorum tenoribus præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæterisq; contrarijs quibuſcunque. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 28. Februarij 1612. Pontificatus noſtri anno ſeptimo.

S. *Cobellutius.*

Exemptio à iuriſdictione Epiſcopi Cyreneñ in Regno Perſarum.

PAVLVS PAPA V. Ad futuram rei memoriam.

ALiàs Nos Venerabilem Fratrem Antonium Epiſcopum tunc electum Cyreneñ, de cuius perſona nobis, & fratribus noſtris ob ſuorum exigentiam meritorum accepta Eccleſiæ Cyreneñ in partibus Infidelium conſiſteñ, & certo tunc expreſſo modo vacanti prouideramus ex tunc, prout poſtquam munus conſecrationis ſuſcepiſſet in Regno Perſarum, illiusq; Prouincijs, ac terris, & locis temporali dominio Regis Perſarum ſubiectis noſtrum, & Sedis Apoſtolicæ Viſitatorem Apoſtolica authoritate ad noſtrũ, & Sedis prædictæ beneplacitum fecimus, conſtituimus, & deputauimus, illiq; inter cæteras à nobis tunc ſibi conceſſas facultates, vt quoſcunque tam ſæculares, quàm regulares in dicto Regno, eiusq; Prouincijs exiſtentes fideles, eorumq; loca, & Domos, etiam quocunque priuilegio, immunitate, & exemptione ſuffultos, & ſuffulta, ac nobis, & Apoſtolicæ Sedi immediatè ſubiecta (Fratribus Carmelitanis Diſcalceatis dumtaxat exceptis) quoties expediens eſſe iudicaſſet, authoritate noſtra Apoſtolica viſitare, ac tam in capite, quàm in membris reformare, aliaq; tunc expreſſa facere, gerere, ordinare, & exequi poſſet conceſſimus, & indulſimus, & alias prout in alijs noſtris literis pleniùs continetur. Licet autem in dictis literis Fratres Carmelitanos Diſcalceatos inibi degentes ab omni iuriſdictione, & ſuperioritate dicti Epiſcopi, ſpecialiter exemptos eſſe voluerimus, & declarauerimus, tamen ne de voluntate, & declaratione noſtris huiuſmodi à quoquam ambigi poſſit, ſed illæ firmius ſubſiſtant, & ab omnibus, ad quos ſpectat, exactius obſeruentur; omnes, & ſingulos fratres Carmelitanos Diſcalceatos in Regno Perſarum, & illius Prouincijs, ac terris, & locis temporali dominio Regis Perſarum ſubiectis nunc, & in futurum pro tempore exiſtentes, eorumq; Eccleſias, & Domos, & bona, ac perſonas vniuerſas ab omni & quacunque iuriſdictione, & ſuperioritate dicti Antonij Epiſcopi penitus, & omnino Apoſtolica authoritate tenore præſentium eximimus, & liberamus, ac exemptos, & liberatos ſemper fuiſſe, & eſſe volumus, & declaramus, ſicq; ab

Digitized by Google

omnibus, & ſingulis cenſeri, & ita per quoſcunque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſq; contrarijs quibuſcunque. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 29. Nouembris 1612. Pontificatus noſtri anno octauo.

S. Cobellutius.

Facultas diſpenſandi ſuper certis conſanguinitatis gradibus, necnon Altaria & Calices benedicendi in Regno Perſarum.

Dilectis filijs Redempto à Cruce, Leandro ab Annunciatione, Benigno à S. Michaele, Bartholomeo Maria à S. Franciſco, & Ludouico Franciſco à Matre Dei, Ordinem Fratrum Carmelitarum Diſcalceatorum profeſſis, in partibus Regni Perſarum conſtitutis.

PAVLVS PAPA QVINTVS.
Dilecti filij ſalutem, & Apoſt. benedictionem.

VT Regni Perſarum Chriſtifideles ſalubriùs, & fœliciùs in Catholica Religione dirigantur, & conſeruentur expedire dignoſcitur, vt nos, & Apoſtolica Sedes erga illos reddamur ad gratiam liberales, & eorum infantia lacte nutriatur, vt diuina gratia ad cibos reddantur idonei ſolidiores. Quamobrem

rem vobis, & veſtrum cuilibet, qui,ſicut accepimus, Chriſtianæ religioni in iſtis partibus propagandæ ſedulò operam datis,vt cum prædictis Regni Perſarum Populis tàm ad fidem iam conuerſis, quàm de cætero conuertendis ſuper quibuſcunque,præterquam in primo in linea tranſuerſali, & quocunque inter aſcendentes, & deſcendentes, conſanguinitatis, vel affinitatis gradibus, quibus inter ſe coniuncti, aut attinentes fuerint, itavt impedimentis huiuſmodi non obſtantibus matrimonium inter ſe publicè ſeruata forma Concilij Tridentini contrahere, & in facie Eccleſiæ ſolennizare, & in eo poſtmodum remanere, ita tamen, vt cum prima, quam duxerint, vxore remanere teneantur, liberè, & licitè poſſitis, & valeatis diſpenſare. Inſuper, vt pro Eccleſiarum prædicti Regni tantum neceſſitate, & commoditate Altaria, & Calices ex oleo ab Epiſcopo Catholico benedicto, & dũ ab Epiſcopo Catholico ꝑ duas dietas diſtantes fueritis benedicere, & conſecrare, necnon,vbi neceſſitas ita exegerit,chriſmate, veteri vti liberè ſimiliter, & licitè poſſitis, & valeatis Apoſtolica authoritate tenore præſentium facultatem concedimus, & impartimur. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in vniuerſalibus, prouincialibuſque, & ſynodalibus Concilijs æditis generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, cæteriſq; contrarijs quibuſcunque. Volumus autem vt ſi vos occaſione diſpenſationum per vos vigore præſentium concedendarum aliquid à perſonis prædictis petieritis, ſeu ſponte oblatũ receperitis,excommunicationis maioris latæ ſententiæ pœnam, à qua nonniſi à nobis, aut Romano Pontifice pro tempore exiſtente, & in mortis articulo abſolui nequeatis, eo ipſo incurratis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die prima Decembris 1612. Pontificatus Noſtri anno octauo.

S. ***Cobellutius.***

Ere-

Digitized by Google

Erectio Seminarij Sancti Pauli in monte Quirinali, & extinctio alterius Congregationis ſub eadem inuocatione inſtitutæ.

S V M M A R I V M.

1 Summus Pontifex iuſtis de cauſis extinguit Congregationem S. Pauli ſub vno Commiſſario generali pro conuerſione Infidelium inſtitutam, à Congregatione Hiſpaniæ & Italiæ ſeparatam.

2 Erigit Seminarium S. Pauli Congregationis Italiæ in monte Quirinali ad eundem effectum.

3 Eidem Seminario communicat omnia priuilegia tàm Mendicantium, quàm non Mendicantium.

PAVLVS PAPA V. Ad perpetuam rei memoriam.

ROmani Pontificis prouidentia circumſpecta animarum ſaluti aſſiduè inuigilans, quæ antea prouidè facta fuiſſe videntur, ſi rerum, & temporum ratio poſtulauerit, nõnunquam in melius commutat, prout in Domino conſpicit ſalubriter expedire. Aliàs ſiquidem pro miſſione ad conuerſionem Infidelium inſtituenda per noſtras in ſimili forma Breuis expeditas literas, ſub datum 22. Iulij 1608. Pontificatus noſtri anno quarto, Motu noſtro proprio ex Ordine Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmeli nouæ reformationis tàm Hiſpaniarum quàm Italiæ vnam Congregationẽ ſub inuocatione Sancti Pauli, ab vno Commiſſario generali, cum Diffinitorum interuentu regendam perpetuò ereximus, ipſamq; Congregationem, & eius Commiſſarium generalem, ac Fratres, illorumq; Monaſteria, Domos, & bona, ab omni iuriſdictione Ordinariorum locorũ quorumcunque, necnon ab omni obedientia Præpoſitorum generalium, tàm Congregationis Hiſpaniæ, quàm Italiæ, præterquam in nonnullis tunc expreſſis, etiam perpetuò exemimus, & liberauimus; ac ſub noſtra, & Sedis Apoſtolicę protectione ſubiecimus, aliaq; fecimus, prout in dictis literis pleniùs continetur.

1 Quoniam autem ſicut nobis innotuit nouæ Congregationis huiuſmodi erectio, & alia præmiſſa, iuſtis de cauſis, vt effectum ſortiantur non expe-

Google

expedire in Domino dignoſcitur. Idcirco nos dictarum literarum tenorem præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine Erectionem Congregationis Sancti Pauli, & literas prædictas, ac in eis contenta, & ſi quæ ſint inde ſecuta quæcunque tenore præſentium perpetuò caſſamus, irritamus, & annullamus viribusq; & effectu euacuamus.

2 Cupientes autem dicti Ordinis Fratres in pio eorum propagandæ Religionis zelo confouere, nihilq; quod conuertendis ad fidem Infidelibus, & reducen. Hæreticis opportunum in Domino iudicamus, prætermittere, in ædibus per dictos Fratres in monte Quirinali propè eccleſiam Monaſterij Monialium Sanctæ Suſannæ de Vrbe, nouiter extructis vnum Seminarium dicti Ordinis Congregationis Italiæ, ſub inuocatione Sancti Pauli in quo prædicti Ordinis Fratres, qui ad meſſem Dominicam aptiores videbuntur diuerſarum linguarum, & controuerſiarum ſcientiam ad euertendos errores Hæreticorum, Schiſmaticorum, Saracenorum, Gentilium, & Iudæorum; aliorumq; vniuerſorum Infidelium neceſſariam addiſcere, & maioribus vigilijs, abſtinentijs, alijsq; virtutum exercitijs aſſueſcere poſſint, indeq; edocti pro arbitrio Superiorum ad Infideliũ partes pro conuerſione animarum proficiſci debeant, motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus etiam perpetuò erigimus.

3 Necnon Seminario huiuſmodi, illiusq; Rectori, & Fratribus quod omnibus priuilegijs, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, facultatibus, conceſſionibus, gratijs tàm ſpiritualibus, quàm temporalibus, & indultis, quibus alij Fratres, tàm Mendicantes quàm non Mendicantes, vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti potiri, & gaudere poſſunt, & poterunt quomodolibet in futurum, ſimiliter vti, potiri, & gaudere poſſint, & debeant concedimus, & indulgemus. Decernentes præſentes literas, & in eis contenta quæcunque perpetuò valida, & efficacia fore, ac ſuos plenarios effectus ſortiri, & obtinere, ſicq; in præmiſſis per quoſcunque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon prædicti, & quorumcunque aliorum ordinum ſtatutis, etiam iuramento confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eiſdem Ordinibus, illorumq; Superioribus, & perſonis, ſub quibuſcunque teno-

tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſq; efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus,& alijs decretis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus, & ſingulis etiamſi pro illorum ſufficiẽti derogatione de illis, eorumq; totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, ac indiuidua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda foret, tenores huiuſmodi,ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habẽtes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſq; contrarijs quibuſcunque. Volumus autem,vt præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, ac ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadẽ prorſus fides in Iudicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die ſeptima Martij 1613. Pontificatus Noſtri anno octauo.

S. Cobellutius.

Facultas celebrandi Officium, & Miſſam de Beata Virgine Tereſia de IESV.

PAVLVS PAPA V. Ad perpetuam rei memoriam.

Regis æternæ gloriæ, qui fideles ſeruos ſuos corona vitæ coronat, vices quamquam immeriti gerẽtes in terris ex iniuncto nobis Paſtoralis officij debito Chriſtifidelium, ac præſertim Catholicorum Regum, & Principum, necnon Religioſarum perſonarum votis, quæ peculiarem erga eoſdem Chriſti ſeruos honorem, & venerationem reſpiciunt, libenter annuimus,

Digitized by Google

eaq; fauoribus proſequimur opportunis, prout conſpicimus ſalubriter in Domino expedire. Sanè dilectorum filiorum omnium Religioſorum totius Ordinis Fratrum Carmelitarum Diſcalceatorum Beatæ Mariæ de Monte Carmeli nomine nobis nuper expoſitum fuit, quod bon. me. Tereſia de Ieſu dicti Ordinis Fratrum Carmelitarum Diſcalceatorum fundatrix, tàm multis, & eximijs virtutum, & gratiarum, ac miraculorum donis à Domino illuſtrata fuit, vt magna idcirco erga eius nomen, & memoriam Chriſtifidelium deuotio vigeat, quapropter non ſolum vniuerſus Ordo prædictus, ſed etiam chariſſimus in Chriſto filius noſter Philippus Hiſpaniarum Rex Catholicus, ac omnium ferè Hiſpaniarum Regnorum Archiepiſcopi, Epiſcopi, Principes, necnon Communitates, Vniuerſitates, & Homines, nobis iteratis precibus humiliter ſupplicari fecerunt, vt donec Canonizationis honor ab Apoſtolica Sede dictæ Tereſiæ habeatur, quòd ob eius excellentia merita aliquando diuina inſpirante gratia futurum ſperant, ſacroſanctum Miſſæ ſacrificiū, & Officium ab omnibus, & ſingulis dicti Ordinis vtriuſque ſexus Religioſis perſonis de dicta Tereſia tanquam de vna beata Virgine, & aliàs, vt infra, agi, & recitari reſpectiuè poſſet. Quare nos re priùs per Venerabiles fratres noſtros S. R. E. Cardinales Sacris Ritibus Præfectos, quibus eam examinandam mandauimus, maturè diſcuſſa de eorundem Cardinalium conſilio huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, vt deinceps in futurum ſingulis annis in die depoſitionis dictæ Beatæ Tereſiæ, videlicet die quinta menſis Octobris in omnibus Monaſterijs, & Eccleſijs dicti Ordinis Fratrum Carmelitarum Diſcalceatorum ab omnibus eiuſdem Ordinis Religioſis vtriuſque ſexus, Officium, & Miſſa de Beata Tereſia prædicta, tanquam de vna Virgine, necnon in Oppido Albæ Salamantin. Diœc. in Monaſterio, & Eccleſia, in qua Corpus dictæ Beatæ Tereſiæ aſſeruari aſſeritur, ab omnibus presbyteris tàm ſæcularibus, quàm regularibus cuiuſcunque Ordinis in dicta die quinta Octobris tantùm Miſſa in honorem eiuſdem Beatæ Tereſiæ pro eorum deuotione iuxta regulas Breuiarij, & Miſſalis Romani recitari, & celebrari reſpectiuè poſſit, & valeat Apoſtolica authoritate tenore præſentium perpetuò concedimus, & indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſq; contrarijs quibuſcunque. Volumus autem quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarij publici ſubſcriptis, ac ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, ſeu Procuratoris generalis dicti Ordinis munitis eadem prorſus fides in iudicio, & extra

tra

tra adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 24. Aprilis 1614. Pontificatus Noſtri anno nono.

S. Cobellutius.

Prohibitio tranſitus ad Camaldulenſes.

S V M M A R I V M.

1 *Refert Summus Pontifex ſe aliàs prohibuiſſe Carmelitis Diſcalceatis ad alios Ordines tàm Mendicantium, quàm non Mendicantium, excepto Ordine Carthuſianorum tranſire.*

2 *Declarat in prædicta prohibitione etiam Camaldulenſes includi, non obſtantibus quibuſcunque.*

PAVLVS PAPA V. Ad perpetuam rei memoriam.

ALiàs Nos, vt Fratribus Congregationis Fratrum Diſcalceatorum Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmeli à ſui inſtituti præſcripto diſcedendi, & vagandi via præcluderetur, inter alia ſtatuimus, & ordinauimus, ac in virtute ſanctæ Obedientiæ diſtrictè præcepimus, vt nullus ex ipſis de vna in alteram Congregationem tranſire, recipi, & admitti valeret, & ſi ſecus ſuper his ſcienter, vel ignoranter fieri contingeret, tranſitus, ac receptio, & admiſſio huiuſmodi nullius valoris, & momenti cenſeretur, ipſeq; ſic tranſiens, & receptus ad propriam Congregationem reſtitueretur, ſed nec vllus eorundem Fratrum Diſcalceatorum poſt emiſſam ab eo in prædicto Ordine profeſſionem regularem

abſque ſpeciali pro tempore exiſtentis Rom. Pontificis licentia de infraſcriptis noſtris litteris, earumq. data expreſſam, indiuiduam, ac de verbo ad verbum mentionem faciente, ac ex legitima, & vrgenti cauſa prius à Venerabilibus fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus ſuper Regularium reformatione, & viſitatione deputatis diligenter examinata, & approbata ad alium quemcunque Ordinem Mendicantium, & non Mendicantium, Monachalium, ſeu Diſcalceatorũ, aut quarumcunque Religionum erectarum, vel erigendarum, etiam emiſſionis quarti voti, ſeu perfectioris, & humilioris vitæ præſumptione, aut ſtrictioris regulæ, ſeu obſeruantiæ prætextu, vel contemplatione, aut alia quantumuis iuſta, & probabili, aut legitima cauſa, ſub apoſtaſiæ, ac infamiæ perpetuæ nota, & excommunicationis latæ ſententiæ pœna ipſo facto per contrauenientes incurrenda ſe transferre auderet, ſeu præſumeret, excepto dumtaxat Ordine Fratrum Carthuſianorum, quatenus ad illum tranſeundi licentiam à ſuis Superioribus petijſſent, & obtinuiſſent, ac quicunque ſecus feciſſet cum primum deſuper monitus fuiſſet, nulla mora, aut excuſatione, ſeu forenſi contentione, vel appellatione interpoſitis ad propriã ſuam Congregationem redire, ac Superiorum ſuorum correctioni ſe ſubmittere teneretur, nec Prælati dictarum Congregationum, ac aliorum Ordinum, & Religionum huiuſmodi ipſos ſic tranſlatos, ſeu fugitiuos, & apoſtatas retinere, ſed eos etiam ſi nouam profeſsionem regularem emiſiſſent, ſub priuationis ſuorum officiorum, & munerum, ac ſimilis excommunicationis pœnis ſuis Superioribus, vel ab eis deputatis id requirentibus, & petentibus, ſtatim abſque Iudicis miniſterio tradere, & conſignare deberent, prout in noſtris deſuper in ſimili forma Breuis, ſub die 3. Aprilis 1610. expeditis literis, quarum tenores præſentibus pro expreſſis haberi volumus, plenius continetur. Cum autem ſicut Dilecti filij Procuratores generales dictorum Fratrum nobis nuper exponi fecerunt, à nonnullis in dubium reuocetur, An Ordo Camalduleñ. dictis literis comprehendatur, itaut neque ad illum tranſiri poſſit, ex eo quia ad illum quibuſuis perſonis regularibus, petita licet non obtenta à ſuis Superioribus licentia, trãſeundi facultas per quaſdam fœl. rec. Sixti Papæ Quinti Prædeceſſoris literas conceditur, Nobis propterea Procuratores prædicti humiliter ſupplicari fecerunt, vt ſuper præmiſſis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

2 Nos igitur, qui perſonarum quarumlibet præſertim ſub ſuaui Religionis iugo Altiſſimo famulantium quieti, & ſtatui, quantum cum Do-

mino

Google

mino poſſumus, libenter conſulimus omnem ſuper præmiſſis dubitandi occaſionem è medio ſubmouere, ac prædictos Procuratores ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijsq; Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quauis occaſione, vel cauſa latis, ſiquibus quomodolibet innodati exiſtunt ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes huiuſmodi ſupplicationibus inclinati prædictum Camalduleñ. Ordinem comprehenſum vidiſſe, & eſſe, ac comprehendi Apoſtolica authoritate prædicta tenore præſentium decernimus, & declaramus, & nihilominus authoritate, & tenore ſimilibus ſtatuimus, & ordinamus, ac in virtute ſanctæ Obedientiæ diſtrictè præcipimus, vt nullus ex dictis Fratribus Diſcalceatis ad prædictum Ordinem Camalduleñ. ſub pœnis in prædictis literis contentis niſi ex cauſa, vt ſupra examinata, & approbata, ac de Rom. Pont. pro tempore exiſtentis licentia tranſire recipi, & admitti valeat. Decernentes præſentes literas validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ac ab omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inuiolabiliter obſeruari debere, ſicq; per quoſcunque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac omnibus illis, quæ in dictis literis voluimus non obſtare, cæterisq; contrarijs quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub annulo Piſcatoris, die 16. Martij 1616. Pontificatus Noſtri anno vndecimo.

S. Cobellutius.

Exten-

Digitized by Google

Extenſio facultatis celebrandi Officium, & Miſſam de Beata Virg. TERESIA de IESV.

PAVLVS PAPA V. Ad futuram rei memoriam.

DOmini noſtri IESV Chriſti, qui bonos, & fideles ſeruos, & ancillas ſuas, æternæ gloriæ præmio donat in cælis, vices quanquam immeriti gerentes in terris, ex iniuncti nobis Paſtoralis officij debito, vt eorundem ſeruorum, & ancillarum Chriſti honos, & veneratio in terris promoueatur, libenter procuramus, & Chriſtifidelium, præſertim Catholicorum Regum, & Eccleſiarum Præſulum votis, quæ peculiarem erga illos cultum reſpiciunt, libenter annuimus, eaq; fauoribus proſequimur opportunis, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire. Aliàs ſiquidem nomine dilectorum filiorum omnium Religioſorum totius Ordinis Fratrum Carmelitarum Diſcalceatorum B. MARIAE de Monte Carmeli Nobis expoſito, quod bo. me. TERESIA de IESV dicti Ord. Fratrum Carmelitarum Diſcalceatorum fundatrix, tàm multis, & eximijs virtutum, & gratiarum, ac miraculorum donis à Domino illuſtrata fuerat, vt magna idcircò erga eius nomen, & memoriam Chriſtifidelium deuotio vigeret, & proptereа non ſolum vniuerſus Ordo prædictus, ſed etiam chariſſimus in Chriſto filius noſter Philippus Hiſpaniarum Rex Catholicus, ac omnium ferè Hiſpaniarũ Regnorum Archiepiſcopi, Epiſcopi, Principes, necnon Communitates, Vniuerſitates, & Homines, nobis iteratis precibus humiliter ſupplicari fecerant, vt donec Canonizationis honor ab Apoſtolica Sede dictæ Tereſiæ haberetur, ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium, & Officium ab omnibus, & ſingulis dicti Ordinis vtriuſque ſexus Religioſis perſonis de dicta Tereſia tanquam de vna Beata Virgine agi, & recitari reſpectiuè poſſet. Nos re prius per Venerabiles fratres noſtros S. R. E. Cardinales Sacris Ritibus Præfectos, quibus eam examinandam mandaueramus, maturè diſcuſſa, de eorundem Cardinalium conſilio huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, vt ſingulis annis in die depoſitionis dictæ B. Tereſiæ, videlicet die quinta menſis Octobris in omnibus Monaſterijs, & Eccleſijs dicti Ordinis Fratrum Carmelitarum Diſcalceatorum ab omnibus

eiuſdem

Digitized by Google

eiuſdem Ordinis Religioſis vtriuſque ſexus, Officium, & Miſſa de Beata Tereſia prædicta tanquam de vna Virgine, necnon in Oppido Albæ Salamantin. Dioec. in Monaſterio, & Eccleſia, in qua Corpus dictæ Beatæ Tereſiæ aſſeruari aſſeritur, ab omnibus presbyteris, tàm ſæcularibus, quàm regularibus cuiuſcunque Ordinis in dicta die quinta Octobris tantùm, Miſſa in honorem eiuſdem B. Tereſiæ pro eorum deuotione, iuxta reg. Breuiarij, & Miſſalis Romani recitari, & celebrari reſpectiuè poſſet conceſſimus, & indulſimus, prout in alijs noſtris in ſimilis forma Breuis deſuper expeditis literis, quarũ tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis haberi volumus, pleniùs continetur. Cum autem, ſicut nomine eorundem Religioſorum iterum nobis nuper expoſitum fuit, non ſolùm vniuerſus Ordo prædictus, ſed etiam Philippus Rex, ac Archiepiſcopi, & Epiſcopi, ac Principes prædicti, pro eo quem erga dictam B. Tereſiam gerunt deuotionis affectu Miſſam, & Officiũ de eadem B. Tereſia ab omnibus vtriuſque ſexus perſonis Eccleſiaſticis in Eccleſijs Regni Caſtellæ veteris celebrari, & recitari reſpectiuè poſſe ſummoperè deſiderent. Nos ſupplicationibus illorum nomine nobis ſuper hoc iterum humiliter porrectis inclinati; de eorũdẽ Fratrum conſilio, vt deinceps in futurum in omnibus Eccleſijs quarumcunque Ciuitatum, & Dioec. Regni Caſtellæ veteris tantùm, Miſſa, & Officium de eadem B. Tereſia in die eius depoſitionis præfata dumtaxat iuxta Rubricas Breuiarij Romani, à quibuſcunque vtriuſque ſexus perſonis Eccleſiaſticis, ſeruata aliàs in omnibus, & per omnia literarum prædictarum forma, & tenore celebrari, & recitari reſpectiuè liberè, & licitè poſſit, & valeat, Apoſtolica authoritate tenore præſentiũ concedimus, & indulgemus. Non obſtantibus illis, quæ in dictis literis voluimus non obſtare, cæteriſq; contrarijs quibuſcunque. Volumus autem quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, ſeu Procuratoris generalis dicti Ordinis munitis eadẽ prorſus fides adhibeatur in Iudicio & extra, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub annulo Piſcatoris, die 27. Septembris 1616. Pontificatus Noſtri anno duodecimo.

Scipio Cobellutius Cardinalis.

Licen-

Digitized by Google

Licentia vendendi quæcunq; bona immobilia, cenſus, & loca montium.

S V M M A R I V M.

1 Conceditur licentia vendendi quæcunq; bona immobilia, cenſus, & loca montium, etiam S. *Georgij Ianuen. de conſenſu Diffinitorij generalis, & ſeruata forma Conſtitutionum Ordinis.*

PAVLVS PAPA V. Ad perpetuam rei memoriam.

EXponi nobis nuper fecit Dilectus Filius Dominicus de Ieſu Maria Procurator generalis Ordinis Fratrum Carmelitarum Diſcalceatorum nuncupatorum Congregationis Italicæ, quòd, licèt ex dicti Ordinis Conſtitutionibus Apoſtolica authoritate confirmatis Fratres eiuſdem Ordinis, bona ſtabilia ad eorum Domos Regulares ex fidelium eleemoſynis, legatis, donationibus, ac aliàs legitimè pertinentia, illis exceptis, quæ eiſdem Domibus ita ſunt contigua, & vicina, vt ipſi ſine eorum quietis perturbatione, & Domorũ Regularium huiuſmodi præiudicio illis carere nequeant, de cõſenſu Diffinitorij dicti Ordinis vendere, vel alienare, vel alias de illis diſponere poſſint: nihilominus perſonæ ad illorum emptionem ſine expreſſa Sedis Apoſtolicæ licentia per eoſdem Fratres obtenta deuenire formidant, ſeu ſubterfugiunt non ſine modico Regulariũ Domorũ prædictarum detrimento. Nobis propterea dictus Dominicus nomine totius Cõgregationis prædictæ humiliter ſupplicari fecit, quatenus in præmiſſis, vt infra opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eiuſdem Congregationis vtilitati, & commodis, quantum cum Domino poſſumus, benignè conſulere, dictoſq; Fratres ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſq; Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſiquibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectũ præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſoluentes, & abſolutas fore cenſentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, eiſdem Fratribus,

tribus,

Digitized by Google

tribus, vt de Diffinitorij generalis conſenſu quęcunque bona immobilia, cenſus, loca Montium etiam S. Georgij Ianuenſis, illorum iura, & actiones, ac emolumenta, ſolutiones, & pagas, vel alio quouis nomine nuncupata ex piorum Chriſtifidelium eleemoſynis, largitionibus, donationibus, ſucceſſionibus, legatis, & alijs quibuſcunq; diſpoſitionibus, ſeu contractibus licitè acquiſita, & ad ipſos legitimè ſpectantia, & vbicunq; exiſtentia, ſeruata tamen in omnibus, & per omnia Conſtitutionum prædictarum forma abſque alia noſtra, & Sedis prædictæ licentia, quibuſuis perſonis vendere, & alienare, pretiumq; exinde prouenięns in magis neceſſarios dictarũ domorum vſus, quemadmodum ipſis Fratribus, & Diffinitorio præfato expediens videbitur iuxta Cõſtitutiones prædictas conuertere, & erogare liberè, & licitè poſſint, & valeant, licẽtiam, & facultatem, authoritate prædicta tenore præſentium tribuimus, & impartimur. Decernentes præſentes literas, & iuxta illarum, ac Conſtitutionum prædictarum formam faciendas ſucceſſiones, venditiones, & emptiones huiuſmodi ſemper validas, & efficaces fore, ac Fratribus, & emptoribus prædictis in omnibus, & per omnia ſuffragari, ſicq; per quoſcũnque Iudices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, iudicari, & diffiniri debere. Non obſtantibus, quatenus opus ſit, fœlicis recordationis Pauli Papæ Secundi, & aliorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum de rebus Eccleſiæ non alienandis, alijsq; Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæterisq; contrarijs quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris, die vigeſima Martij milleſimo ſexcenteſimo decimo ſeptimo Pontificatus noſtri anno duodecimo.

S. Card. Sanctæ Suſannæ.

Q Alia

Alia facultas alienandi bona ſtabilia de Generalis licentia.

SVMMARIVM.

1 *Rationes expoſita à Carmelitis Calceatis in petitione facultatis vendendi, & alienandi.*

2 *Conceſſio prædictæ facultatis.*

3 *Quæ requirantur ad validitatem alienationis.*

4 *Non transfertur poſſeſſio, donec Prior Generalis ratificet alienationẽ.*

5 *Confirmat alienationes à Fratribus ritè factas, & prohibet eos ſuper his qualibet autboritate moleſtari.*

6 *Non obſtare huic facultati Conſtitutiones Bonifacij Octaui, Symmachi, & Pauli II. nec alias, in quibus expreſſa, & de verbo ad verbum huius indulti mentio non habeatur.*

7 *Nulla eſt alienatio, niſi ante reperta fuerint bona Monaſterio vtiliora, in quibus realiter pretium vnico contextu inueſtiatur, vel conuertatur.*

GREGORIVS PAPA XIII. Ad perpetuam rei memoriam.

EX incumbenti nobis Apoſtolicę ſeruitutis officio ad ea libenter animũ noſtrũ conuertimus, per quæ religioſã vitã ducentibus perſonis, quę aſſiduos labores pro Fide Catholica cõſtanter tuẽda, & defendendã ſuſtinẽt, (inter quas Familia Fratrũ Ord. Glorioſs. Dei Genitricis, ſemperq; Virg. Mariæ de Mõte Carmeli iure enumerari poteſt) ac earũ commodis, & vtilitati opportune conſulatur.

1 Exponi ſiquidem nobis nuper fecerunt Fratres dicti Ordinis, quod ſæpenumero accidit, vt pro aliqua vrgenti neceſſitate, vel vtilitate Monaſteriorum, Domorum, & locorum dicti Ordinis tàm virorum, quàm mulierum illorum bona alienare, vel permutare expediret, ac quandocunq; contigit, vt conditio ſemel oblata ſi prætermittatur maximam afferat iacturam, præterquam quod difficile admodum extit pro ſingulis faciendis permutationibus, & alijs contractibus ad Sedem Apoſtolicam recurrere, ac id non ſine Fratrum ipſius Ordinis moleſtia fieri poteſt. Quare ijdem Fratres nobis humiliter ſupplicari

plicari fecerunt, vt in præmiſſis prouidere Apoſtolica dignaremur.

2 Nos ipſos Fratres, & eorũ quemlibet à quibuſuis excõmunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijs Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentiũ dumtaxat conſequendum harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, eiſdem Fratribus ex nunc de cætero perpetuis futuris temporibus Fratres, & Moniales dicti totius Ordinis Carmelitarum omnium, & quorumcunq; Monaſteriorum, Domorum, & locorum eiuſdem Ordinis vbilibet nunc, & pro tempore conſiſtentiũ libere, & licite valeant quæcunque bona ſtabilia, & immobilia, ſeu quaſi ſtabilia cuiuſcũq; qualitatis, & quãtitatis, & valoris, & in quocũq; loco exiſtentia eorũdem Monaſteriorũ, Domorũ, & locorũ vẽdere, alienare, permutare pro pretio, pactis, modis, & formis hinc inde cõueniẽdis licẽtiã, & facultatẽ Apoſtolica authoritate tenore præſentiũ concedimus.

3 Prouiſo tamen, quod præmiſſa omnia fiãt pro cõmoditate, & vtilitate ipſorum Monaſteriorum, Domorum, & locorum, & quod conſenſus duarum partium ex tribus partibus Fratrum, vel Monialium ipſius Monaſterij, Domus, vel loci, cuius dicta bona erunt, accedat, & interueniat abſq; alia à nobis, vel Succeſſoribus noſtris Romanis Pontificibus pro tempore exiſtentibus, aut Sede Apoſtolica, vel illius de Latere Legatis, ſeu Nuncijs, aut etiam locorum Ordinarijs petenda, vel obtinenda licentia, ſeu confirmatione.

4 Ita tamẽ, quod loco cõſenſus Sedis Apoſt. dilectus filius Prior generalis dicti Ordinis nunc, & pro tempore exiſtẽs, diligenter examinata, & re euidẽter vtili comprobata, habeat, prout ſibi ex nũc perpetuo cõcedimus, poteſtatẽ ratificandi huiuſmodi permutationes, & alienationes, ac contractus: ſicq; vbi talis ordo non fuerit ſeruatus, conceſſio, venditio, alienatio, ac cõtractus deſuper aliter facti nulli, & inualidi, nulliuſq; roboris, & momenti exiſtant; & donec prædictus Prior Generalis modo prędicto nõ ratificauerit, poſſeſſio remaneat, & remanere intelligatur penes ipſos Fratres, ſeu Moniales prædicti Monaſterij, Domus, aut loci ſic permutãtis, aut alienãtis, ac ita in præmiſſis declaramus, & decernimus.

5 Et nihilominus ex nunc, prout ex tunc, & è contra poſtquam permutationes, alienationes, & contractus, ac inde ſequuta quæcunque nec non contractus ſeruatis ſupranarratis pro tempore facti per dictum Priorem Generalem ratificati fuerint, vt præfertur, ſeu cõſenſus

eiuſdem dicti Prioris generalis interuenerint, eaſdem permutationes, alienationes,& contractus,& inde ſequuta quæcunque nec non inſtrumenta,& ſcripturas deſuper pro tempore confecta approbamus,& confirmamus,ac perpetuæ firmitatis robur obtinere debere ſtatuimus. Decernentes quoad commoditatem, ſeu vtilitatem Monaſteriorum, Domorum, & locorum prædictorum aſſertioni duarum partium ex tribus partibus Fratrum, vel Monialium illius loci, cuius bona erunt,poſt quã ratificatio facta fuerit, illasq; & illa,nec non præſentes,& in eis contenta validas, & efficaces, ac valida,& efficacia perpetuo fore,nec non ab omnibus obſeruari debere, ipſoſq; & cum eis contrahentes prædictos ſuper præmiſſis,& inde ſecutis quibuſcunque per quoſcunq; quauis authoritate quomodolibet moleſtari, vel impediri non poſſe,nec non irritum,& inane,ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Venerabili fratri Epiſcopo Maceratenſi,& dilectis filijs cauſarum Cur. Cam. Apoſt. generali Auditori,& Cancellariæ Apoſtolicæ nunc, & pro tempore exiſtentibus per præſentes committimus,& mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut vnus eorum per ſe, vel alium,ſeu alios præſentes literas,& in eis contenta quæcunque vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte eorundem Fratrum Carmelitarum, vel Monialium, aut alicuius eorum ſuper his fuerint requiſiti ſolenniter publicantes, eiſq; & eorum cuilibet in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes faciant eaſdem præſentes, & in eis contenta quæcunq; ab omnibus, quos illa concernunt, integrè, & inuiolabiliter obſeruari.

6 Non permittentes eos, aut eorum aliquem deſuper contra earundem præſentium tenorem quemlibet indebitè moleſtari; contradictores quoſlibet, & rebelles per cenſuras, ſententias, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaq; opportuna iuris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, legitimiſq; ſuper his habendis ſeruatis proceſſibus, ſententias, cenſuras, & pœnas ipſas etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis. Non obſtantibus fœlic. record. Bonifacij Papæ VIII. de vna, & in Concilio generali ædita de duabus dietis, dummodo vltra tres dietas quis vigore præſentium non trahatur, & prædictæ memoriæ Symachi, ac Pauli Papæ II. Prædeceſſorum noſtrorum de rebus Eccleſiæ non alienandis,vel alienatis recuperandis,ac alijs Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon quibuſuis,etiam iuramento,cõfirma-

firmatione Apoſtolica,vel quauis firmitate alia roboratis Monaſteriorũ, Domorum, & Ordinis prædictorum, ſtatutis,& conſuetudinibus, priuilegijs quoque indultis,& literis Apoſtolicis quibuſcunque ſub quibuſcunq; tenoribus,& formis,ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsq; efficacioribus,& inſolitis clauſulis,ac irritantibus, & alijs decretis in genere,vel in ſpecie etiam Motu proprio, ac alias quomodolibet etiam iteratis vicibus conceſſis,approbatis,& innouatis quibus omnibus,& ſingulis etiam ſi de illis, ac totis eorum tenoribus ſpecialis,ſpecifica, indiuidua,& expreſſa mentio habenda,aut alia exquiſita forma ad hoc ſeruãda foret, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum præſentibus inſererentur, pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſq; contrarijs quibuſcunque, ſeu ſi aliquibus communiter, vel diuiſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excõmunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenã, & expreſſam,ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionẽ.

7 Volumus autem, quod ſi ad alienationem bonorum ſtabilium ex cauſa maioris vtilitatis, aut alia ratione ſuadente deueniendum erit, alienationes bonorum ad Monaſteria, & Domos eiuſdem Ordinis ſpectantium non antea fiant, quàm cum reperta fuerint bona eiſdem Monaſterijs, & Domibus vtiliora quibus pretium rerum huiuſmodi alienatarum vnico contextu, realiter, & cum effectu inueſtiatur, vel conuertatur: aliàs ipſa ſit ipſo iure nulla. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica munitis, & impreſſis, eadem prorſus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ ipſis originalibus literis adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die tertia Februarij milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſexto Pontificatus noſtri anno quarto.

Cæſar Glorierius.

Confir-

Confirmatio Concordiæ inter Carmelitas Calceatos, & Diſcalceatos ſuper erectione Confraternitatum B. MARIÆ Virginis, & conceſsione ſacri Scapularis.

SVMMARIVM.

1 Carmelitæ Calceati ac Diſcalceati ſub Apoſtolicæ Sedis beneplacito deuenerunt ad concordiam ſuper erectione Confraternitatum B. MARIAE Virg. & conceſſione ſacri Scapularis.

2 Ponitur tenor concordiæ.

3 Confirmatur prædicta concordia.

4 Decernitur ab illa non poſſe recedi non obſtantibus quibuſcunque.

PAVLVS PAPA V. Ad futuram rei memoriam.

AD ea, per quæ perſonarum quarumlibet præſertim ſub ſuaui Religionis iugo Altiſſimo famulantium paci, & tranquillitati conſulitur, intendentes, illa, quæ pro ſemouendis inter eos contentionum materijs ab illorum Superioribus concorditer facta fuiſſe dicuntur, vt firma; & illibata perſiſtant, libenter cum à nobis petitur, Apoſtolici roboris firmitate communimus, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.

1 Exponi ſiquidem nobis fecerunt dilecti filij Sebaſtianus Fantonus Prior generalis Ordinis Fratrum Carmelitarum, ac Ferdinandus à Sancta Maria Præpoſitus generalis Fratrum Carmelitarum Diſcalceatorum nuncupatorum Congregationis S. Eliæ, necnon Franciſcus à Sanctiſſimo Sacramento Procurator generalis eorundem Fratrum Carmelitarum Diſcalceatorum Congregationis Hiſpaniæ, quod ipſi animaduertentes conſtitutione fœl. rec. Clementis Papæ VIII. Prædeceſſoris noſtri, quæ incipit: Quæcunque à Sede Apoſtolica, &c. inter cætera expreſsè caueri, quod tam in alma Vrbe, quàm in alijs quibuſcunque Ciuitatibus, & locis regularium Ordinum, ac religionum, & inſtitutionum, quibus in eorum, & quibuſcunque alijs eccleſijs Confraternitates ſæcularium erigendi, & inſtituendi, illisq; priuilegia, Indulgentias, facultates, aliasq; ſpirituales

rituales gratias, & indulta communicandi facultas à Romano Pontifice, & Apoſtolica Sede conceſſa fuit, Magiſtri, Priores, Præpoſiti, Rectores, Gubernatores, Præceptores, Primicerij, Prælati, Cuſtodes, Guardiani, Præfecti, Adminiſtratores, & alij Officiales, ſeu Superiores quouis modo nuncupati vnam tantum Confraternitatem, & Cõgregationem in eorum, & quibuſcunque alijs Eccleſijs, & Collegijs de conſenſu Ordinarij, & ſub certis modo, & forma tunc expreſſis erigere, & inſtituere poſſint; Sebaſtianus, ac Ferdinandus, ac Franciſcus prædicti ad obuiandum differentijs, quæ inter Ordinem, & Congregationes prædictas occaſione conceſſionis Scapularis B. MARIAE Virginis Chriſtifidelibus id piè petentibus, ac eorundem Chriſtifidelium in Confratres Confraternitatum, in Ordinis, & Congregationum prædictarum eccleſijs canonicè inſtitutarum admiſſionis per Calceatos, & Diſcalceatos Fratres prædictos hactenus fieri ſolitæ, oriri veriſimiliter poterant, & forſan iam ortæ erant, ad infraſcriptam ſub noſtro, & Sedis prædictæ beneplacito deuenerunt concordiam, prout plenius continetur in publico deſuper confecto inſtrumento, cuius tenor eſt qui ſequitur.

2 In Nomine Domini Amen. Per hoc præſens publicum inſtrumentum cunctis pateat euidenter, & ſit notum, quod Anno ab eiuſdem Natiuitate milleſimo ſexcenteſimo decimo ſexto, Indictione decima quarta, die verò vigeſima quarta menſis Auguſti, Pontificatus Sanctiſſ. in Chriſto Patris, & D. N. D. Pauli Diuina prouidentia Papæ Quinti, Anno eius duodecimo in mei Notarij publici, ac teſtium infraſcriptorũ ad hæc ſpecialiter vocatorum, habitorum, & rogatorum præſentia, præſentes, & principaliter exiſtentes, Reuerendiſſ. P. Magiſter Sebaſtianus Fantonus Generalis Ordinis Carmelitarum, Reuerendiſſ. P. Fr. Ferdinandus à Sancta Maria Præpoſitus generalis Carmelitarum Diſcalceatorum Cõgregationis S. Eliæ, ac admodũ Reu. P. Fr. Franciſcus à ſanctiſſimo Sacramento Procurator generalis Congregationis Hiſpaniarum aſſerentes pluries ſecum animo reuoluiſſe, & conſideraſſe conſtitutionem Clementis Papæ VIII. incipieñ. Quæcunque à Sede Apoſtolica, &c. ſub Dat. 6. Decembris 1604. in qua decreuit, & ſtatuit ne tam in alma Vrbe, quàm in alijs quibuſcunque Ciuitatibus, & locis totius Chriſtiani Orbis regularium Ordinum, & Religionum, & inſtitutorum, quibus in eorum, & quibuſcunque alijs Eccleſijs, & Collegijs Cõfraternitates ſæcularium erigendi, & inſtituendi facultas conceſſa eſt, illiſq; priuilegia, Indulgentias, facultates, aliaſq; ſpirituales gratias, & indulta elargiendi, & communi-

muni-

municandi poteſtas à Romanis Pontificibus, & Apoſtolica Sede attributa fuit, Magiſtri, Priores, Præpoſiti, Rectores, Gubernatores, Præceptores, Primicerij, Prælati, Cuſtodes, Guardiani, Præfecti, Adminiſtratores, & alij Officiales, ſeu Superiores, quouis modo nuncupati vnam tantũ Confraternitatem, & Congregationem in eorum, & quibuſcunque alijs Eccleſijs, & Collegijs erigere, & inſtituere poſſint, prout latius in dicta conſtitutione ad quam &c. Et ex d. conſtitutione facilè diſcordiam aliquam oriri poſſe Patribus Carmelitanis, qui in pluribus locis olim dictam Confraternitatem erexerunt, contendentibus nè Diſcalceati in eiſdem locis noua Monaſteria fundarĩ. Beatæ Virginis Scapulare fidelibus piè petentibus, vt hactenus conſueuerunt, deinceps concedãt, & è contra Diſcalceatos in locis, vbi ipſi prius Monaſteria erexerunt, idem poſſe prætendere, quod non ſine perturbatione Populi Chriſtiani contingeret. Ideo prædicti Patres Reuerendiſſ. P. Magiſter generalis, & Reuerendiſſ. P. Præpoſitus generalis, & Procurator generalis Hiſpaniæ ſub vna Beatiſſimæ Virginis tutela militantes, vt charitas mutua ſine vllius offenſione foueatur, ſpontè &c. omni &c. nominibus prædictis conueniunt, & paciſcuntur hoc propoſito medio videlicet, vt vbi Fratres Carmelitanĩ erectam iam habent Confraternitatem, poſſint Diſcalceati ſanctum Scapulare petentibus concedere, ſodaleſq; ita admittere, vt eo ipſo Confraternitati Patrum Carmelitarum adſcripti cenſeantur & ſint, & eaſdem Indulgentias, priuilegia, facultates, aliaſq; ſpirituales gratias, & indulta conſequantur modo, quo ſupra. Item quoad proceſſiones tam præcipuam menſis Iulij ad Sanctiſſimæ Virginis commemorationem ſolennem fieri ſolitam, quàm alias, quæ in aliqua Dominica ſingulorum Menſium fiunt, quibus aſſiſtentibus Confratribus, & Conſororibus Plenaria Indulgentia per Sanctiſſ. D. N. Paulum Papam Quintum, ſub die 3. Auguſti 1609. in perpetuum conceſſa eſt, & poſtea ab eodem ſub die 19. Iulij 1614. ad omnes in poſterum erigendas in quauis Mundi parte Confraternitates extenſa, ità pariter conueniunt, & paciſcuntur, vt vbi Confraternitas in domibus Patrum Diſcalceatorũ fuerit erecta, nolintq; ipſi dictam proceſſionem, ſeu proceſſiones facere, poſſint Patres Carmelitani eam, vel eas celebrare, illiq; vel illis aſſiſtentes Confratres lucrentur Indulgentiam, acſi in eorum domo eſſet Confraternitas; Et è conuerſo ſi in domibus Patrum Carmelitarum fuerit erecta Confraternitas, nolintq; ipſi proceſſionẽ celebrare, poſſint Patres Diſcalceati eam facere, Confratreſq; aſſiſtentes conſequantur Indulgentiam prædictam,

Digitized by Google

Quia ſic inter eos actum &c. Quam conuentionem, & concordiam dictę partes nominibus quibus ſupra, ac vice & nomine aliorum Patrum tàm Carmelitanorum, quàm Diſcalceatorum reſpectiuè promiſerunt habere ratam &c. & contra non facere &c. ſub quouis prætextu &c. imò ſtatuerunt, voluerunt, & mandarunt omnibus Religioſis ſibi reſpectiuè ſubditis perpetuò cuſtodire, & obſeruare; ſupplicantes Sanctiſſ. D. N. Paulum Papam Quintum, eiusq; ſanctam Sedem Apoſtolicam, quatenus dignetur præſens inſtrumentum concordiæ, ac omnia in eo contenta admittere, Indulgentiasq;, priuilegia, facultates, aliasq; ſpirituales gratias, & indulta, modo quo ſupra, concedere cum ſuppletione omnium defectuum, ſi qui deſuper interuenerint, eamq; confirmare, ac in perpetuum decreto Apoſtolico ſtatuere, atque corroborare, & tactis eorum reſpectiuè pectoribus more Religioſorum iurarunt, ſuper quibus &c. Actum Romæ in Regione Burgi in Ven. Monaſterio B. Mariæ de Trãſpontina, & in ſtantijs d. Reuerendiſſ. Patris Generalis, præſentibus ibidem D. Ioſepho Fiacchino, filio D. Innocentij Romani, & Magiſtro Ioanne Baptiſta q. Franciſci Ioannini Mediolanenſis, teſtibus ad prædicta vocatis, habitis ſpecialiter, atque rogatis.

3 Cum autem ſicut eadem expoſitio ſubiungebat, Sebaſtianus, & Ferdinandus, & Franciſcus prædicti pro præmiſſorum validitate, ac ſubſiſtentia concordiam prædictam Apoſtolicæ noſtræ confirmationis robore communiri plurimum deſiderent. Nos Sebaſtianum, Ferdinandum, ac Franciſcum prædictos, ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijsq; Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quàuis occaſione, vel cauſa latis, ſiquibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes; ſupplicationibus, illorum nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati; concordiam prædictam, ac deſuper confectum inſtrumentum huiuſmodi, & in eo contenta quæcunque Apoſtolica authoritate tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illisq; inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & ſingulos tàm iuris, quàm facti defectus, ſiqui deſuper quomodolibet interuenerint, ſupplemus.

4 Decernentes præſentes literas validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ac Ordinis & Congregationis prædictarum Fratres, ad plenariam illarum obſeruationem teneri, & obligatos eſſe, nec ab illis vllo vnquam

tempore quauis de cauſa reſilire poſſe, irritumq́; & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus prædicta Clementis Prædeceſſoris huiuſmodi, alijsq́; conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Ordinis, & Congregationum prædictarum, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæterisq́; contrarijs quibuſcunque. Dat. Romæ apud S. Mariam Maiorem ſub annulo Piſcatoris, die 24. Aprilis 1617. Pontificatus Noſtri anno duodecimo.

Scipio Cardinalis S. Suſannæ.

Inſtrumentum publicum præinſertæ concordiæ.

IN NOMINE DOMINI. Amen.

PEr hoc præſens publicum inſtrumentum cunctis pateat euidenter, & ſit notum, quod anno ab eiuſdem Natiuitate milleſimo ſexcenteſimo decimo ſexto, Indictione 14. die verò viceſima quarta menſis Auguſti, Pontificatus Sanctiſſ. in Chriſto Patris, & D. N. D. Pauli Diuina prouidentia Papæ Quinti, Anno eius duodecimo, in mei Notarij publici, ac teſtium infraſcriptorũ ad hæc ſpecialiter vocatorum, habitorum, & rogatorum præſentia, præſentes, & perſonaliter exiſtentes, Reuerendiſſ. P. Magiſter Sebaſtianus Fantonus Generalis Ordinis Carmelitarum, Reuerendiſſ. P. Fr. Ferdinandus à Sancta Maria Præpoſitus generalis Carmelitarum Diſcalceatorum Cógregatio-

Digitized by Google

gationis S. Eliæ, ac admodũ Reu. P. Fr. Franciſcus à ſanctiſſimo Sacramento Procurator generalis Congregationis Hiſpaniarum aſſerentes pluries ſecum animo reuoluiſſe, & conſideraſſe conſtitutionem Clementis Papæ VIII. incipieñ. Quæcunque à Sede Apoſtolica, &c. ſub Dat. 6. Decembris 1604. in qua decreuit,& ſtatuit ne tam in alma Vrbe, quàm in alijs quibuſcunque Ciuitatibus, & locis totius Chriſtiani Orbis regularium Ordinum, & Religionum, & inſtitutorum, quibus in eorum, & quibuſcunque alijs Eccleſijs, & Collegijs Cõfraternitates ſæcularium erigendi, & inſtituendi facultas conceſſa eſt, illisq; priuilegia, Indulgentias, facultates, aliasq; ſpirituales gratias, & indulta elargiendi, & communicandi poteſtas à Romanis Pontificibus,& Apoſtolica Sede attributa fuit, Magiſtri, Priores, Præpoſiti, Rectores, Gubernatores, Præceptores, Primicerij, Prælati, Cuſtodes, Guardiani, Præfecti, Adminiſtratores, & alij Officiales, ſeu Superiores, quouis modo nuncupati vnam tantũ Confraternitatem, & Congregationem in eorum, & quibuſcunque alijs Eccleſijs, & Collegijs erigere, & inſtituere poſſint,prout latius in dicta conſtitutione ad quam &c. Et ex d. conſtitutione facilè diſcordiam aliquam oriri poſſe Patribus Carmelitanis,qui in pluribus locis olim dictam Confraternitatem erexerunt, contendentibus nè Diſcalceati in eiſdem locis noua Monaſteria fundañ. Beatæ Virginis Scapulare fidelibus piè petentibus, vt hactenus conſueuerunt,deinceps concedãt, & è contra Diſcalceatos in locis,vbi ipſi prius Monaſteria erexerunt,idem poſſe prætendere, quod non ſine perturbatione populi Chriſtiani contingeret. Ideo prædicti Patres Reuerendiſſ. P. Magiſter generalis, & Reuerendiſſ. P. Præpoſitus generalis, & Procurator generalis Hiſpaniæ ſub vna Beatiſſimæ Virginis tutela militantes,vt charitas mutua ſine vllius offenſione foueatur, ſponte &c. omni &c. nominibus prædictis conueniunt, & paciſcuntur hoc propoſito medio videlicet, vt vbi Fratres Carmelitani erectam iam habent Confraternitatem, poſſint Diſcalceati ſanctum Scapulare petentibus concedere, ſodalesq; ita admittere, vt eo ipſo Confraternitati Patrum Carmelitarum adſcripti cenſeantur & ſint, & eaſdem Indulgentias, priuilegia, facultates, aliasq; ſpirituales gratias, & indulta conſequantur modo, quo ſupra. Item quoad proceſſiones tam præcipuam menſis Iulij ad Sanctiſſimæ Virginis commemorationem ſolennem fieri ſolitam, quàm alias, quæ in aliqua Dominica ſingularum Menſium fiunt, quibus aſſiſtentibus Confratribus, & Confororibus Plenaria Indulgentia per Sanctiſſ. D. N. Paulum Papam Quintum, ſub die 3. Augusti

guſti 1609. in perpetuum conceſſa eſt, & poſtea ab eodem ſub die 19. Iulij 1614. ad omnes in poſterum erigendas in quauis Mundi parte Confraternitates extenſa, ità pariter conueniunt, & paciſcuntur, vt vbi Confraternitas in domibus Patrum Diſcalceatorũ fuerit erecta, nolintq; ipſi dictam proceſſionem, ſeu proceſſiones facere, poſſint Patres Carmelitani eam, vel eas celebrare, illiq; vel illis aſſiſtentes Confratres lucrentur Indulgentiam, acſi in eorum domo eſſet Confraternitas; Et è conuerſo ſi in domibus Patrum Carmelitarum fuerit erecta Confraternitas, nolintq; ipſi proceſſionẽ celebrare, poſſint Patres Diſcalceati eam facere, Confratresq; aſſiſtentes conſequantur Indulgentiam prædictam, quia ſic inter eos actum &c. Quam conuentionem, & concordiam dictæ partes nominibus quibus ſupra, ac vice, & nomine aliorum Patrum tàm Carmelitanorum, quàm Diſcalceatorum reſpectiuè promiſerunt habere ratã &c. & contra non facere &c. ſub quouis prætextu &c. imò ſtatuerunt, voluerunt, & mandarunt omnibus Religioſis ſibi reſpectiuè ſubditis perpetuò cuſtodire, & obſeruare; ſupplicantes Sanctiſſ. D. N. Paulum Papam Quintum, eiusq; ſanctam Sedem Apoſtolicam, quatenus dignetur pręſens inſtrumentum concordiæ,ac omnia in eo contenta admittere, Indulgentiasque, priuilegia, facultates, aliasq; ſpirituales gratias, & indulta,modo quo ſupra, concedere cum ſuppletione omnium defectuum, ſi qui deſuper interuenerint, eamq; confirmare, ac in perpetuum decreto Apoſtolico ſtatuere, atque corroborare, & tactis eorum reſpectiuè pectoribus more Religioſorum iurarunt, ſuper quibus &c. Actum Romæ in Regione Burgi in Ven. Monaſterio B. Mariæ de Tranſpontina, & in ſtantijs d. Reuerendiſſ. Patris Generalis, præſentibus ibidem D. Ioſepho Fiacchino, filio D. Innocentij Romani, & Magiſtro Ioanne Baptiſta q. Franciſci Ioannini Mediolanenſis, teſtibus ad prædicta vocatis, habitis ſpecialiter, atque rogatis.

Ego Io. Baptiſta Vatellus Amerinus Curiæ Cauſarum Cam. Apoſt. Notarius de præmiſſis rogatus præſens Inſtrumentum ſubſcripſi, & publicaui requiſitus.

Locus ✠ ſigni.

Sequun-

Digitized by Google

Sequuntur Facultates pro Erectiones Monaſteriorum Monialium Diſcalceatarum, & Fratrum eiuſdem Ordinis ad illarum gubernium deputatione.

Pro Erectione Monaſterij Monialium Diſcalceatarum Sancti Ioſeph in IESV MARIA Neapol. adſunt literæ ſacræ Congregationis Regularium Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. Cardinali Aquauiuæ directę ſub Dat. 8. Aprilis 1606. vt conſtat in actis Curię Archiepiſcopalis eiuſdem Ciuitatis, & Regiſtro prædictæ Congregationis.

Extant etiam in eodem Regiſtro literæ eiuſdem Sacræ Congregationis, ſub Dat. 17. Februarij 1607. directę Admodum Reu. Patri Præpoſito Generali Carmelitarum Diſcalceatorum, quibus datur eidem facultas extrahendi quinque Moniales eiuſdem Ordinis à Monaſterio IESV MARIÆ Ianueñ. pro fundatione, & erectione præfati Monaſterij Neapolitañ.

Com-

Commiſſio curæ Monialium Diſcalceatarum in Belgio.

Dilectis filijs Pręposito, ſeu Vicario generali, ac Diffinitoribus generalibus Ordinis Beatę Marię de Monte Carmeli, Diſcalceatis nuncupatis, Congregationis S. Elię.

PAVLVS PAPA QVINTVS.

Dilecti filij ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

CVm, ſicut accepimus, in Belgio nonnulla Monialium Ordinis Beatę Marię de Monte Carmeli (Diſcalceatarũ nuncupatarũ) Monaſteria ad omnipotentis Dei, & eius Matris Virginis Mariæ, Sanctorumq; omnium laudem, & gloriam, ac mulierum illarum partium ſub ſuaui Religionis iugo Altiſſimo perpetuum exhibere famulatũ deſiderantium cuſtodiam, præuia Sedis Apoſtolicæ licentia fundata, & erecta ſint. Nos pro noſtro Paſtoralis officij debito, proſpero dictorum Monaſteriorum regimini, & adminiſtrationi proſpicere volentes, ac ſperantes ſi regimen, & adminiſtratio dictorum Monaſteriorum vobis, committatur, illa in ſpiritualibus, & temporalibus incrementa ſuſceptura eſſe. Idcirco Apoſtolica authoritate tenore præſentium vobis in virtute ſanctæ obedientiæ committimus, & mandamus, vt iuxta earundem Monialium Monaſteriorum Conſtitutiones, & Statuta à fęl. rec. Sixto Papa V. & Gregorio XIIII. Prædeceſſoribus noſtris cõfirmata dictorũ Monaſteriorum illorũq; Conuentuum atque perſonarum in illis pro tẽpore degentium in ſpiritualibus, & temporalibus curam, gubernium, regimen, moderationem, & inſtitutionem ſuſcipiatis, & geratis, in eumq; finem talem ex veſtro Ordine deſignetis, & deputetis Sacerdotẽ ad nutum Superiorum amouibilem, qui verbo, & exemplo vitæ, ac morum puritate ad conſtitutionum regularium obſeruationem eas inducere, ac iuxta prædictas conſtitutiones & ſtatuta, regere, & gubernare, valeat & poſſit. Mandantes propterea in virtute ſanctæ obedientiæ Abbatiſſis, ſeu Prioriſſis, & Monialibus dictorum Monaſteriorum

pro

pro tempore exiſtentibus, vt vobis pareant, & obediāt, veſtraq; ſalubria monita recipiant. Non obſtan. piæ mem. Clementis Papæ VIII. Prædeceſſoris noſtri, in qua cauetur ne Fratres dicti Ordinis curā quarumcunq; Monialium ſuſcipere poſſint, alijsq; Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæterisq; contrarijs quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die xxvj. Ianuarij M. D C X. Pontificatus noſtri anno quinto.

S. Cobellutius.

Erectio Monaſterij Monialium de Vrbe.

SVMMARIVM.

1 *Refert Summus Pont. ſe commiſiſſe negotium erectionis Monaſterij Monialium Carmelitarum Diſcalceatarum de Vrbe Congregationi Reformationis examinandum.*

2 *Erectionem prædicti Monaſterij de ſententia eiuſdem Congregationis factam confirmat, ac de nouo erigit.*

3 *Eidem Monaſterio communicat omnia Priuilegia aliorum Monaſteriorum eiuſdem Ordinis.*

4 *Committit eius gubernium Superioribus prædicti Ordinis.*

PAVLVS PAPA V. Ad perpetuam rei memoriam.

INter cætera cordis noſtri deſiderabilia id vnum enixè cupimus, vt Monaſteria, & alia pia loca inſtituantur, in quibus æternæ beatitudinis amatrices ſalutem ſuam tutiùs, & quietiùs operentur. Cum itaque dilecta in Chriſto filia nobilis mulier Margherita Principiſſa Venafri nobis nuper exponi feciſſet, quaſdam

pias

Digitized by Google

pias,& deuotas mulieres in ędibus apud eccleſiam Sancti Aegidij Transtyberim de Vrbe inſimul congregatas in communi viuere,dictasq; ædes ad formam Monaſterij, & clauſuræ, vbi illæ ſub ſuaui Religionis iugo Altiſſimo famularentur, reduci cupere.

1 Nos ſupplicationibus dictæ Margheritæ pro parte earundem mulierum porrectis in ea parte inclinati hoc negocium Congregationi reformationis de dicta Vrbe examinandum, & nobis referendum commiſimus. Ex cuius ſententia deinde dictæ ædes in formam Monaſterij, & clauſuræ, ſub inuocatione Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmeli Ordinis Fratrum Diſcalceatorum erectæ, & inſtitutæ fuerunt, ipſæq; mulieres habitum per Moniales dicti Ordinis geſtari ſolitum ſuſceperunt coram Venerabili fratre noſtro Epiſcopo Saloneñ. & Viceſgerente tunc exiſtentis Vicarij noſtri in dicta Vrbe, & eius diſtrictu in ſpiritualibus generalis, prout in publico inſtrumento deſuper confecto pleniùs contineri dicitur. Quare pro parte dictæ Margheritæ nobis fuit humiliter ſupplicatum quatenus præmiſſis pro maiori cautela, & firmiori eorum ſubſiſtentia robur Apoſtolicæ confirmationis adijcere, aliàsq; opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

2 Nos igitur piam eiuſdem Margheritæ voluntatem, & intentionem plurimum in Domino commendantes, illamq; ob eius ſummam in Deum pietatem, ac ſingularem in nos, & Sedem Apoſtolicam deuotionem, ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, erectionem, & inſtitutionem Monaſterij huiuſmodi, ac omnia & ſingula inde ſecuta, Apoſtolica authoritate tenore præſentium approbamus & confirmamus, illiſq; perpetuæ, & inuiolabilis firmitatis robur adijcimus, necnon omnes, & ſingulos tàm iuris, quàm facti defectus, ſiqui deſuper quomodolibet interuenerint, in eiſdem ſupplemus, & nihilominus etiam pro potiori cautela Monaſterium prædictum eiſdem modo, & forma, quibus erectum, & inſtitutum eſt, vt præfertur, eiſdem authoritate, & tenore erigimus, & inſtituimus.

3 Eidemq; Monaſterio ſic erecto & inſtituto, ac Monialibus nunc, & pro tempore in eo exiſtentibus perpetuis futuris temporibus, vt omnibus & ſingulis priuilegijs, conceſſionibus, fauoribus, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, Indulgentijs, ac alijs gratijs, quibus alia Monaſteria Monialium dicti Ordinis in genere, vel in ſpecie quomodolibet vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere poſſunt, & poterunt quomodolibet in futurum æquè principaliter, & pariformiter, vti,

potiri,

potiri, & gaudere liberè, & licitè valeat dicta authoritate, earundem tenore præſentium de ſpeciali gratia indulgemus.

4 Necnon ipſum Monaſterium, ac in illo nunc, & pro tempore exiſtentes Moniales, ſub Beati Petri, & Sedis Apoſtolicæ, ac noſtra, pro tempore exiſtentis Rom. Pontificis protectione, & inuiolabili conſeruatione ſuſcipimus, & viſitationi, correctioni, obedientiæ, & omnimodè iuriſdictioni in ſpiritualibus, & tēporalibus Vicarij noſtri in Vrbe pro tempore exiſtentis, necnon iuri, & gubernio, adminiſtrationi, viſitationi, correctioni, obedientiæ Fratrum Diſcalceatorū Italiæ perpetuò ſubijcimus, & committimus. Hortamur quoque Fratres Diſcalceatos Italiæ prædictos quacunque illi fuerint dignitate, poteſtate, & officio præditi, quatenus dictum Monaſterium, illiusq; Moniales habentes pro noſtra, & Sedis Apoſtolicæ reuerentia propenſius commendatos, ipſum Monaſterium viſitent, gubernent, & regant, iuxta regularia inſtituta Monialium dicti Ordinis à fœl. rec. Sixto Papa Quinto approbata, & confirmata, & à piæ mem. Gregorio Papa XIIII. Prædeceſſoribus noſtris moderata, illisq; Regulis dictorum Fratrum Diſcalceatorum, & vti regunt, & gubernant Monaſteria Monialium dicti Ordinis Ianuen., & Neapolitañ. dicta authoritate conforment, præcipientes Monialibus dicti Monaſterij nunc, & pro tempore exiſtentibus quatenus eoſdem Fratres Diſcalceatos deuotè ſuſcipientes, & debita honorificentia proſequentes, eorum monitis, & mandatis ſalubribus humiliter intendant. Ita quod mutua inter eos gratia gratos ſortiatur effectus, & nos eorum, & earum deuotionem poſſimus propterea in Domino meritò commendare. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis regulis, & ordinationibus, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eidem Ordini, illiusq; Superioribus, & perſonis, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis clauſulis, & decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium quomodolibet conceſſis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis etiamſi de illis, illorumq; totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, & indiuidua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habēda foret, illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris; hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè harum ſerie derogamus; cæteriſq; contrarijs quibuſcunque. Volumus autem quod præſentium tranſumptis, manu alicuius Notarij

publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ obſignatis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 29. Martij 1611. Pontificatus Noſtri anno ſexto.

S. Cobellutius.

Erectio Monaſterij Monialium Cremonæ

S V M M A R I V M.

1 *Conceditur authoritas erigendi Monaſterium Monialium Carmelitarum Diſcalceatarum in Ciuitate Cremonæ.*

2 *Eidem Monaſterio conferuntur Priuilegia omnia aliarum Monaſteriorum dicti Ordinis.*

3 *Committitur illarum gubernium Superioribus eiuſdem Ordinis non obſtantibus quibuſcunque, & præcipuè Conſtitutione Clem. VIII.*

Venerabili Fratri noſtro Epiſcopo Cremonen.

P A V L V S P A P A Q V I N T V S.

Venerabilis Fr. ſalutem, & Apoſt. benedictionem.

IN ſupremo militantis Eccleſiæ ſolio, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine diuina diſpenſatione, nullis licet noſtris meritis, conſtituti circa ea, per quæ Monaſteria, & alia regularia loca deuoti fœminei ſexus ad religionis, & diuini cultus augumentum, necnon animarum ſalutẽ propagari valeant, propenſis ſtudijs intendimus, ac deſuper paſtoralis officij noſtri partes libenter interponimus, prout, perſonarum, & locorũ qualitatibus debitè penſatis, conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Expoſitum ſiquidem nobis nuper fuit nomine nonnullorum Chri-

Chriſtifidelium Ciuitatis Cremonen. quod ipſi pia deuotione ducti ad omnipotentis Dei, ac glorioſiſſimæ Virginis Dei Genitricis MARIAE laudem, & gloriam, necnon diuini cultus, religioniſq; augumentum in eadem Ciuitate, & ædibus ad id congruis & decentibus, vnum Monaſterium Monialium Ordinis B. Mariæ Carmelitarum Diſcalceatarum nuncupatarum, fundare intendunt, idemq; Monaſterium poſtquam ſic fundatum fuerit, per nos, vt infra erigi, & inſtitui ſummopere deſiderāt, & ad hunc effectum ſumptus ad fabricam ipſius Monaſterij neceſſarios ſuppeditare, ac eidem Monaſterio ſufficientes, vt infra redditus attribuere offerunt. Quare eorundem Chriſtifidelium nomine nobis fuit humiliter ſupplicatum, vt pijs eorum votis in præmiſſis annuere, aliaſq; deſuper opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

1 Nos igitur qui diuini cultus augumentum, & Chriſtianæ religionis propagationem ſinceris deſideramus affectibus, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati fraternitati tuæ per præſentes committimus, & mandamus, vt in loco, ſeu ædibus ad id congruis, & per dictos Chriſtifideles ad huiuſmodi effectum acquiſitis ſeu acquirendis, poſtquam ad formam Monaſterij redactæ, & debita clauſura munitæ fuerint, ipſiq; Chriſtifideles, tot cenſus, ſeu redditus, proprietates, & bona quorum valor ad ſufficientem vnius Abbatiſſæ, ſeu Priorіſſæ, & competentis numeri Monialium ſuſtentationem, onerumq; eis incumbentium ſupportationem ſatis ſit, realiter, & cum effectu donauerint, & aſſignauerint, vnum Monialium Ordinis prædicti Monaſterium cum Eccleſia, campanili, campanis, cimiterio, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitijs, cæteriſq; officinis, & membris neceſſarijs, & opportunis pro vna Abbatiſſa, ſeu Prioriſſa, ac competenti Monialium numero, quæ inibi iuxta regularia dicti Ordinis inſtituta, ſub illius regulari habitu, Altiſſimo perpetuò famulentur, diuiniſq; laudibus inſiſtant, ac aliàs in omnibus, & per omnia, ad inſtar aliorum Monaſteriorum Monialium huiuſmodi, perpetuò, ſine alicuius præiudicio, Apoſtolica authoritate erigas & inſtituas, illiq; ſic erecto, & inſtituto pro eius dote, & manutentione, ac Abbatiſſæ, ſeu Prioriſſæ, & Monialium, aliarumq; perſonarum ſuſtentatione, ac onerum illis incumbentium ſupportatione, omnia & ſingula tàm mobilia, quàm immobilia bona, quomodolibet nuncupata, per prædictos, & alios quoſcunque Chriſtifideles ipſi Monaſterio donanda, & aſſignanda, ſimili authoritate etiam perpetuo applices, & appropries.

2 Necnon Monaſterio prædicto, poſtquam ſic erectum, & inſtitutum

fuerit, illiusq; pro tempore exiſtentibus Abbatiſſæ, ſeu Prioriſſæ, & Monialibus, necnon officialibus, miniſtris, & perſonis, eorumq; rebus, & bonis, vt omnibus & ſingulis priuilegijs, facultatibus, prærogatiuis, gratijs, conceſſionibus, & indultis tàm ſpiritualibus, quàm temporalibus, quibus alia Monialium dicti Ordinis Monaſteria de iure, vſu, & conſuetudine, aut aliàs quomodolibet vtuntur, potiuntur, & gaudent, aut vti, potiri, & gaudere poſſunt, & poterunt quomodolibet in futurum, ſimiliter, & æquè principaliter, abſque vlla prorſus differentia, vti, potiri, & gaudere poſſint, & valeant, concedas, & indulgeas.

3 Inſuper Monaſterium ſic erigendum, & inſtitutum huiuſmodi ex nunc, prout poſtquam erectum fuerit, illiusq; Abbatiſſam, ſeu Prioriſſam, Moniales, & perſonas quaſcunque, eorumq; bona, gubernio, & regimini, adminiſtrationi, correctioni, viſitationi, & ſuperioritati Superiorum eiuſdem Ordinis ſimiliter perpetuò ſubmittas, & ſubijcias, ijſdemq; Superioribus, vt Monaſterij huiuſmodi curam, & regimen in ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiant authoritate prædicta præcipias; ſuper quibus omnibus plenam, liberam, & amplam facultatem, & authoritatem dicta authoritate tenore præſentium concedimus, & impartimur, non obſtantibus fœl. rec. Clementis Papæ VIII. Prædeceſſoris noſtri, ac quibuſcunque alijs conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Monaſterij, & Ordinis prædictorum, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis, ac etiã innouatis, quibus omnibus & ſingulis eorum omnium tenores præſentibus pro expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſq; contrarijs quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die vltima Octobris 1612. Pontificatus noſtri anno octauo.

S. Cobellutius.

Ere-

Erectio Monaſterij Monialium Auenionis.

S V M M A R I V M.

1 *Datur facultas erigendi Monaſterium Monialium Carmelitarum Diſcalceatarum in Ciuitate Auenion.*

2 *Eidem Monaſterio communicantur omnia priuilegia aliorum Monaſteriorum eiuſdem Ordinis.*

3 *Committitur illarum cura & gubernium Superioribus prædicti Ordinis, non obſtantibus quibuſcunque, & præſertim Conſtitutione Clementis VIII.*

Venerabili Fratri Archiepiſcopo Auenioñ.

P A V L V S P A P A Q V I N T V S.

Venerabilis Fr. ſalutem, & Apoſt. benedictionem.

IN ſupremo militantis Eccleſiæ ſolio,& Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ſumma Redemptoris noſtri benignitate conſtitui, circa ea, per quæ Monaſteria, & alia regularia loca deuoti fœminei ſexus vbique ad religionis, & diuini cultus incrementum, necnon animarum ſalutem propagari, ac prudentes virgines, & aliæ honeſtæ mulieres ibidem, ſpretis huius infelicis ſæculi illecebris,ſub debita clauſura, & regularis obſeruantiæ diſciplina perpetuum eidem Redemptori noſtro famulatum impendere, ac exinde honoris flores, & honeſtatis fructus, æternamq; beatitudinem promereri valeant, propenſis ſtudijs impendimus, ac deſuper paſtoralis officij noſtri partes libenter interponimus, prout,perſonarum, & locorum qualitatibus debitè penſatis,conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Exponi nobis ſiquidem fecit dilecta in Chriſto filia Clara de Peruſijs Baroniſſa Faræ Auenioñ. ſeu alterius Diœceſis, quod ipſa cupiens terrena in cæleſtia, & tranſitoria in æterna bona fœlici commercio commutare, ac alias pia deuotione ducta ad omnipotentis Dei, & glorioſiſſimæ eius Virginis Genitricis MARIAE laudem & gloriam, necnon diuini cultus, religioniſq; augmentum, in Ciuitate Auenioñ., & ædibus ſuis,quas inhabitabat, vnum Monaſterium Monialium fundare; idemq; Monaſterium poſtquam ſic funda-

fundatum fuerit, per nos in Monaſterium Monialium Diſcalceatarum nuncupatarum Ordinis S. Mariæ de Monte Carmeli erigi & inſtitui ſummopere deſiderat, & ad hunc effectum Monaſterio erigendo huiuſmodi, redditum annuum 500. ſcut. monetæ illarum partium ſuper gabellis, & redditibus publicis dictæ Ciuitatis ſibi legitimè competen̄ aſſignare offert. Quare eiuſdem Claræ nomine nobis fuit humiliter ſupplicatum, vt pijs eius votis in præmiſſis annuere, aliasq; deſuper opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

1 Nos igitur qui diuini cultus augmentum, ſinceris deſideramus affectibus, dictam Claram, à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijsq; Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſiquibus quomodolibet innodata exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum harum ſerie abſoluentes, & abſolutam fore cenſentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati; De Venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negocijs Regularium præpoſitorum, conſilio, Fraternitati tuæ per præſentes committimus, & mandamus, vt in ædibus prædictis poſtquam ad formam Monaſterij redactæ, & debita clauſura munitæ fuerint, dictaq; Clara prædictum redditum annuum 500. ſcut. realiter, & cum effectu donauerit, & aſſignauerit, vnum Ordinis prædicti Monaſterium Monialium, cum Eccleſia, campanili, campanis, cœmeterio, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitijs, cæteriſq; officinis, & membris neceſſarijs, & opportunis pro duodecim Monialibus, computatis tamen duabus Monialibus pro illarum inſtructione in illis transferen̄., quæ inibi iuxta regularia dicti Ordinis inſtituta ſub illius regulari habitu Altiſſimo perpetuò famulentur, diuiniſq; laudibus inſiſtant, ac aliàs in omnibus & per omnia, ad inſtar aliorum Monaſteriorum Monialium Ordinis huiuſmodi perpetuò ſine alicuius præiudicio Apoſtolica authoritate erigas, & inſtituas, illiq; ſic erecto, & inſtituto pro eius dote, & manutentione, & illius Monialium prædictarum ſuſtentatione, ac onerum illis incumbentium ſupportatione dictum redditum annuum 500. ſcut. monetæ per dictam Claram, ac omnia & ſingula, tàm mobilia, quàm immobilia bona, quomodolibet iniuncta per quoſcunque alios Chriſtifideles ipſi Monaſterio donan̄., & aſſignan̄., etiam abſque quorumcunque iurium Sedis, & Cameræ Apoſtolicæ præiudicio, ſimili authoritate etiam perpetuo applices, & appropries.

2 Necnon Monaſterio prædicto, poſtquam ſic erectum, & inſtitu-

tum fuerit, illiusq; pro tempore exiſtentibus Prioriſſæ, & Monialibus, necnon officialibus, & miniſtris, ac perſonis, earumq; rebus, & bonis, vt omnibus, & ſingulis priuilegijs, facultatibus, prærogatiuis, gratijs, cõceſſionibus, & indultis, tã ſpiritualibus, quàm tẽporalibus, quibus alia dicti Ordinis Monaſteria de iure, vſu, & cõſuetudine, aut aliàs quomodolibet vtuntur, potiũtur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere poſſunt, & poterũt quomodolibet in futurũ, ſimiliter, & æque prĩcipaliter, abſq; vlla prorſus differentia, vti, potiri, & gaudere poſſint, & valeant, eadẽ authoritate cõcedas.

3 Inſuper Monaſterium ſic erigendum, & inſtitutum huiuſmodi ex nunc prout poſtquam erectum fuerit, illiusq; Prioriſſam, Moniales, & perſonas quaſcunque, earumq; bona, gubernio, regimini, adminiſtrationi, correctioni, viſitationi, & ſuperioritati Superiorum eiuſdem Ordinis Congregationis S. Eliæ ſimiliter perpetuò ſubmittas, & ſubijcias, eiſdem vero Superioribus, vt Monaſterij huiuſmodi curam, & regimen in ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiant, authoritate noſtra præcipias: Denique vt dilectæ etiam in Chriſto filiæ Anna, & Martha prædictæ Claræ natæ in erigendo Monaſterio huiuſmodi abſque aliqua eleemoſyna dotali recipi, & admitti, ipſa quoque Clara in dictum Monaſterium, poſtquam debita clauſura munitum fuerit, pro ſua ſpirituali conſolatione, ſexies in anno ingredi, & ſimul cum Monialibus conuerſari, ac refectionem etiam ſumere corporalem, dummodo tamen inibi non pernoctet, liberè & licitè valeant, indulgeas, ſuper quibus omnibus, & ſingulis plenam, liberam, & amplam facultatem, & authoritatem dicta authoritate tenore præſentium concedimus, & impartimur. Non obſtantibus fœl. rec. Clementis Papæ VIII. Prædeceſſoris noſtri, alijsq; Apoſtolicis conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon Ordinis, & Congregationis prædictorum, etiam iuramento confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis, eorum omnium tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſè derogamus, cæteriſq; contrarijs quibuſcunque. Dat. Romæ apud S. Marcum ſub annulo Piſcatoris, die quinta Martij 1613. Pontificatus noſtri anno octauo.

S. Cobellutius.

DECRETVM

Sacra Congregatio S. R. E. Cardinalium negocijs, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita cenſuit Fratres Carmelitas Diſcalceatos non eſſe moleſtandos, neque impediri poſſe in quæſtuatione eleemoſynarum, non obſtante quòd alij Fratres Mendicantes eadem die eleemoſynas quærere ſoleant, qua iſti quærunt, & ita decreuit, ac ab omnibus Regularibus Mendicantibus; Et præſertim à Fratribus Sancti Franciſci de Obſeruantia, obſeruari, ac exequi mandat. Romæ 9. Ianuarij M. DCVIII.

A. Mar. Card. Gallus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EM.

Locus ✠ ſigni.

123,694

A. Hortenſius Sec.

ROMAE, Ex Typographia Cameræ Apoſtolicæ. M.DCXVII.

Digitized by Google

423,694

Digitized by Google

Google